


**Disputatio Theologica Inauguralis De Semine Mulieris Caput Serpentis Contrituro  
: ex Gen. III. 14. 15.**

Helmstadij]: Typis Georgii Wolfgangi Hammii, [1703?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87432260X>

Druck Freier  Zugang





~~4724~~  
45.

49. el. 4.

Ja-1092 (45.)


1. Jeron. Friedr. Reich de usu experientiae spiritualis in scriptura  
rum interpretatione. Lipsi. 1705.
2. Seb. Schmidius de antiquissima fide mystica circa mysterium  
S. S. Trinitatis. ad Gen. 1, 2. reimp. Mittel.
3. Christo. Longaeus de sanctiore consubiali Paradisiaca ad Gen.  
11, 24. Acton. 1699.
4. Jo. Geor. zur Linden historia lapsus ad Gen. 11, 1-6. Jen 1734.
5. Jo. Edoard. Nemegerius de femine mulieris caput serpentis con-  
tributo Helms. 1703. ad Gen. 11, v. 14, 15.
6. Abrah. Calovius de inimicitia inter serpentem et mulierem  
ad Gen. 11, 15. Mittel 1662. reimp. ib. 1697.
7. Jo. Vloar. Preferendarius de Paradiso igne deleta ad Gen. 11, 24.  
Acton. 1735.
8. Geor. Seb. Hambergerus de Inde diluuii ad Gen. 12, 10.  
Jen 1696. reimp. ib. 1706.
9. Heel. Gottfr. Majus de opere Loti et statuam falis conuulsa  
reimp. Hafs 1720.
10. Christo. Wallius de singulari facto ac fato uxoris Loti ad Gen. 19,  
26. Lips 1790.
11. Gold. Friedr. Jenichen de lapide facchi uncto ad Gen. XXVIII,  
10. Lips 1791.
12. Jo. Reisk. Rufus de 11 1/2 v. Mesia ad Gen. XLIX, 10. Jen 1719.  
reimp. Mittel. 1794.
13. Jo. Trifschmuthus de circumfione Zippore ad Exod. 11, 24, 25  
26. Jen 1663.
14. Pen de Judais inter duas vespereas suactando paschali agno  
ad Exod. XII, 3. Jen 1660.
15. An. Friedr. Neubauerus de angelo mortis ad Exod. XII, 29. Rom. XVI, 14.  
Habr. 11, 14. Job. III, 8. Apocalypf. 6, 11. Hal. 1792.

16. Conr. Ikenius de Marah ad Exod XXI, 22-25. Bremen 1792.
17. Geor. Christo. Hellwagius de Maana Christi tyjo. Jen 1795.
18. Franc. Wokanius de sermone elliptico in historia Israelis non  
obvio Wittenb 1790.
19. Jo. Jac. Quandt exanod. inbrauerianus de sacerdotio Melchi,  
Jedovans. regif. 1795.
20. Jo. Geor. Michaelis de incisura propter mortuos ad Lev. XIX, 20.  
XXI, 5. Deubr. XIV, 1. Lipsi 1799.
21. Christian. Secouici de spiritu Moysi in XXI seniores posito  
ad Num XI, 16. 25. Lipsi 1794.
22. Friedr. Guell. Breslingius de ritibus veterum Hebraeorum circa  
inulam de colubam. Lipsi 1696. ad Lev. XXI, 17-19
23. Jo. Geor. Abichtius de respiciendis duobus versibus sup XXI in  
quibusdam codicibus <sup>hebraeis</sup> omisfis Lipsi 1714.
24. Franc. Henr. Gebhardt de mapilla sinforata et capite Adam  
Lund. Gryphico. 1707.
25. Jo. Christo. Erlobius de Samuele Propheta et Judice  
non Pontifice aut Sacerdote sacrificante ad 1 Sam VIII, 9.  
Lipsi 1714.
26. Jo. Gott. Carpponius de pluralitate personarum in una  
esentia ad 2 Sam VIII, 24. Lipsi 1720. 4.
27. Jo. Christi. Kingsbeckius de Ammonitis a Davide absque crudeli-  
tate sub jugum missis ad 2 Sam XII, 31. 1. ebrum XX, 9. Lipsi 1751.
28. Jo. Crausius de Suroth Benoth ad 2 Reg. XV, 11, 20. Jen 1664.
29. Sim. Bened. Sympie verba Davidis ultima ad 2 Sam XXIII, 1  
-7. Lipsi. 1721.
30. Jo. Nicol. Quihorpius de novissimis Davidis verbis ad 2 Sam  
XXIII, 21-7. Rostoch 1700.

31. Jo. Lam. Esthenius de  $\gamma\delta\delta$  ad Pf. xxi. 17. Lips 1724.
32. Jo. Conr. Schramm de precibus Christi contra maleficos ad Pf. xxx.  
Hdusf. 1720.
33. Christi. Schöttgenius de emphasi verbi  $\gamma\delta\delta\delta$  ad Pf. li. 9. Lips 1712.
34. Inman. Ens. Aahnus de expiatione per hispanum facta ad Pf. li. 9. Lips 1725.
35. Christi. Weifus de Samuele ad Jehuan clamante ad Pf. x. 6. Lips 1716.
36. Jo. Bened. Caoparius de oratione Messiae ad sacerdotum ad Pf. x. 4. Lips 1769.
37. Salom. Dejlingius de praese Jehuae dominis ad Pf. cxiv. 2. Lips 1723.
38. et 39. Gotth. Friedr. Gudius de sensu orandi Colos. 1. 7. Lips 1723. et 1724.
40. Jo. Lidacke de homine in cuius naso est spiritus ad Isai. 11. 22. Lips 1720.
41. Anuaritius Cassens de  $\alpha\beta\gamma\delta$  יהוה יהוה יהוה ad Jerem. xxii. 19. Lips 1716.
42. Casp. Löschens de  $\tau\epsilon\kappa\upsilon\omicron\upsilon\sigma\iota\lambda\iota\alpha$  diurna ad Jerem. xxxi. 20. Witob. 1691.
43. Joan de  $\text{Μεταρροφωβει}$  regis Nabucadnezaris ad Dan. 1. 5. Witob. 1701.
44. Petr. Brinchius de lxx hebdomadibus Danielis Isai. 1702.
45. Jo. Geor. Dorschens de lxx hebdomadibus Danielis ad Dan. ix. 24. Arg. 1691.
46. Nequius Stranchius de computo sacro lxx hebdomadum Danielis Witob. 1695.
47. Herm. Christo. Engelkenius de luce in hencis faciente ad Hof. xiii. 9. Lips.  
1709.
48. Gotth. Olearius de redemptione ex inferno et liberatione a morte  
ad Hof. xiii. 14. Lips 1701. recus. ib. 1707.
49. Jo. Christi. Hebenstreitus de oculis regis Edomi combustis ad  
Amos. 1. 1. Lips 1713. 4.
50. Jo. Frischmuthus de Harmonia Mich. 1. 1. et Matth. 11. 6. Jen. 1662.
51. Joan de nativitate Messiae ad Mich. 1. 1. Jen. 1661.
52. Sam. Leomanni de duplici Messiae oratione egresu  
ad Mich. 1. 1. Bern. 1702.

53. Ab. zum Felde de uctu imaginum anti christians ad Hab. 11. 10. 19.  
Kilon.
54. Christi. Friedr. Milichius de precibus angelorum pro nobis ad Zach. 4.  
12. Lips. 1729.
55. Sam. Leemannus de psychopograpia Mesiae ad Zach. 11. 12. 13. Ann.  
1702.
56. Prand de triplici coronâ Mesiae et Triplici Bern 1703.





כ"ה  
DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS  
DE  
SEMINE MULIERIS  
CAPUT SERPENTIS  
CONTRITURO,

ex Gen. III. 14. 15.

Quam

D. O. M. A.

EX DECRETO VENERANDI COLLEGII  
THEOLOGICI

IN ILLUSTRIS ACADEMIA JULIA

P R Æ S I D E

JO. BARTHOLDO NIEMEIERO

SS. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE NEC NON  
PRIMÆ PHILOSOPHIÆ AC LOGICES PROFESSORE  
PUBL. ORDIN. COLLEGII PHILOS. SENIORE,  
THEOLOGICI AUTEM H. T. DECANO ET  
PROMOTORE,

P R O L I C E N T I A

SUPREMOS IN THEOLOGIA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE OBTINENDI  
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

SYLVESTER TAPPEN, Hildesf.

Ecclesiæ Patriæ ad D. Andr. Pastor.

IN TULEO MAJORI

Ad D. XXX. Januar. MDCCLIII.

HORIS ANTE- & POMERIDIANIS.

HELMSTAD I,

TYPIS GEORGII WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.

V I R O  
*MAGNIFICO ET CONSULTISSIMO.*  
DN. JOHANNI MELCHIORI  
HOFFMEISTER

J. U. D. CELEBERRIMO  
EPISCOP. HILDES. CONSISTORIALI  
ET

JUDICII AULICI ASSESSORI  
UT ET  
QUÆSTURÆ PROVINCIALIS  
ADMINISTRATORI  
MERITISSIMO

NEC NON

NASSOVIO-SPIGELBERGENSI  
CONSILIARIO

ET  
CANCELLARIÆ  
QUÆ COPPENBRUGGÆ EST

DIRECTORI  
SOCERO SUO ÆTATEM VENERANDO  
IN SIGNUM ET MONUMENTUM  
FILIALIS OBSERVANTIÆ  
INAUGURALEM HANC DISPUTATIONEM  
D. D. D.

A U T O R.



Σὺν τῷ Θεῷ.

DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS

De

SEMINE MULIERIS CAPUT SERPENTIS  
CONTRITURO

ex Gen. III. 14. 15.



I.

Uemadmodum Mofes, non Historicorum tantum, sed & omnium Scriptorum antiquissimus, originem & creationem hujus Universi secundum seriem singulorum dierum ordine descripsit, ita & hominis, perfectionibus suis, etiam naturalibus & essentialibus, reliquas res materiales & visibiles omnes longissimè superantis, originem, cum ratione corporis, tum ratione animæ noluit dissimulare. Neque verò hanc tantum attigit, sed & statum perfectionis, secundum quam homo imaginem DEI specialiter referebat, exhibuit, exponens simul, quomodo felicitate istâ exciderit, quam pœnam, in posteros propagandam, peccato sibi attraxerit, & quod denique remedium homini, ad placandam Numinis iram atque amoliendam æternam

A 2

nam

nam damnationem, ipse DEUS proposuerit. Ut adeò Moses in Historiæ suæ initio statum hominis & naturæ, & perfectionis seu integritatis, & corruptionis, & gratiæ per Messiam restitutæ, concisè quidem, attamen nervosè, ex divina inspiratione fuerit complexus.

II. Institutum nostrum hâc vice non est, omnia ista ex primis Genes. Capitibus distinctè proponere, sed tantùm quæ Cap. III. v. 14. 15. occurrunt, breviter perillustrare, cum his ipsis versiculis Moses nobis describat summum illud divinæ *ἰσχυρίας καὶ εὐδοκίας* mysterium, quâ homini, de peccatis suis anxio, remedium malorum gratuitâ promissione obtulit benignum Numen, idque æternæ damnationi & reatui peccati clementissimè opposuit. Digna profectò sunt verba hæc, si quæ alia, curâ atque industriâ nostrâ, cum, iudice Lutherô T. VI. Opp. Witt. contineant quicquid Scriptura eximium habet, eaq; à Glassio Christol. Mosaic. p. 57. cum imperscrutabili abyssò & inexhausto fonte comparentur, cui incubet quasi almus Jehovahæ Spiritus, & ex quo omnia promissa divina profluxerint. Hinc etiam, opinor, factum est, ut inde à Reformatione & renascentibus literis eruditissimi quique Viri in explicando hoc Vaticinio operam collocârint, quorum dissertationibus, Homiliis & Commentariis in h. l. recensendis vix plagulæ hæ nostræ suffecerint, ut adeò Iliada post Homerum scribere videatur, qui illud denuò sub incudem revocare velit. Attamen quia post messëm spicilegio locus est, æquum benevoli Lectoris iudicium exspectamus, non elaboratam & perpolitam hõc locò tractationem promittentes, sed dissertationem operâ tantum non extemporalis consignatam, qualem videl. concatenati sacri muneris

neris labores, & angustum temporis spatium, intra quod aliorum nos autoritas conclusit, permisere.

III. *Adamus*, quàm fuerat uxori indulgens in culpa tam crudelis erga eandem fuit in subeunda pœna. Nam transferendo culpam à se in uxorem, pœnam quoque meritam in eam solam voluit traducere; ut Bernhard. Serm. I. loquitur. Eva, simili artificiò, culpam in serpentem ejusque seductionem derivabat. Gen. III. 12. 13. Adam namque dicebat: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi de arbore ista & comedi.* Eva autem: *Serpens seduxit me, & comedi.* Operæ itaque pretium erit, Serpentem hunc præcipuè & primò locò cognoscere, primum quippe sceleris & omnium malorum autorem, qui jam non alienâ fraude, sed propriâ malitiâ genus humanum in extremam perniciem præceps egit, quemque Deus v. 14. & 15. directè alloquitur.

IV. Moses in Serpente hoc seductore Genes. Cap. III. notat (1) calliditatem seu *παιδείαν*. (2) Quòd veritatem interdicti divini dubiam mulieri reddiderit. 3 Quòd peccaturis felicitatem sophisticè promiserit. (4) Quòd Evam ad inordinatam concupiscentiâ, & per hanc, ad externum peccatum induxerit, interprete autem muliere, Adamo quoq; lapsus occasio fuerit, quò peccatò non ipsi solum Protoplasti imagine divinâ exuti fuerunt, sed & eadem omnibus eorum posteris carendum fuit. (5) Quòd culpâ & origine mali in serpentem translata, ille maledictionem divinam incurrerit.

V. Talia ac tanta cum de Serpente isto recenseantur, vix fieri potuissè videri poterat, ut Viri docti serpentem hunc merè naturalem fuisse existimarent. Nihilomi-

dominus jam olim Josephus hanc fovit sententiam, pro-  
ut eam l. i. *de xaiol.* c. 2. expressit, ubi narrat, Serpentem  
hunc familiariter cum Adamo ac uxore ejus degentem  
invidisse iis felicitatem obventuram, si jusis Dei parere  
perseverarent. Malitiosè igitur serpentem mulieri, (ser-  
monem quippe ejus intelligenti,) persuasisse, ut arboris  
scientiæ boni ac mali fructum gustaret. Communem  
hanc aliorum quoque Judæorum sententiam esse, testa-  
tur Helvic. in Prot-Evangel. quippe qui vulgò doceant,  
serpentem hunc in primæva creatione & sermone & in-  
telligentiâ à Deo instructum fuisse, ex quibus *Pfeiffer. in*  
*Dub. Vex. Cent. I. Loc. VI.* Aben Efram præ aliis nominat.

VI. *Isaacus Abarbanel* quodammodo à gregalibus  
suis dissentire videtur, serpentem quidem naturalem h. l.  
intelligens, sed qui exemplò saltem suò Evæ, & per hanc  
Adamo peccandi occasionem præbuerit. Negat is,  
contra receptam Judæorum sententiam, potuisse ser-  
pentem cum Eva sermones serere, & pertendit, fuisse  
saltem טענות האשה כפי מה שדה עוררה ממעשה הנחש  
ואכילתו מהעץ ההוא i. e. ratiocinationes mulieris secun-  
dum id, quod elicit ex actione serpentis, ejusque esu  
de arbore illa. Non immeritò tamen ejus opinio ad hanc  
primam classẽ refertur, eo quod Satanæ per serpentis  
organon factum sermonem excludat, atque omnia ad  
serpentem merè naturalem transferat, cujus exemplò  
Eva ad imitationem inducta sit; unde & serpens po-  
stea à DEO, sit punitus, & ad pulverem comedendum  
condemnatus, quòd herbis non contentus ex arbore  
fructus decerpserit: à qua sententia non omnino alienus  
esse videtur *Simon. de Mujs Prof. Paris. Varior. Sacr.*

p. 187.

VII.

VII. Sociniani, interque hos Smalcus, Sommerus, aliique, Judæorum vestigiis hinc insunt, quorum ille, Smalcus, in Refut. Theff. Franzii disertè ait: *Christum hæc DEI verba minime respicere, nec aliquid in se promissionis Evangelicæ continere, sed ad prædictionis complementum sufficere, quod homini data sit potestas superandi serpentem, quem odio habiturus sit.*

XII. Non prætermittenda hinc locò Celeberrimi cujusdam Viri, paradoxa certè, hypothesis, quæ statuit, serpentem hunc omninò merum fuisse animans; (licet negare nolit, quòquo modò Satanæ quandam operationem & fraudem accessisse.) Ita scilicet Mosem hinc Cap. differentem intelligit: Serpens, cum non minus sermonis, quàm rationis facultatem à Creatore accepisset, spiritu interim divinò, qui homini soli concessus erat, destitutus, & hominum conditionem, & interdictum divinum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali admirari, ejusque causam apud animam sollicitè perscrutari cœpit. Evam igitur, dominam suam, aggressus est, quòd hæc fortè ratiocinanti prima occurreret, eique dubium movit de ratione interdicti divini, quam ipse nullâ sagacitate indagare, aut cum Deiperspecta erga homines benevolentia conciliare possit. Addidit; tantum abesse, ut fructus hujus comestio ullum hominibus damnū sit allatura, ut potius vel ex sua, serpentis, creaturæ multò inferioris, experientia discere Eva possit, quæ vanus hic sit metus (prævit enim exemplò suò quàmque ineptum & ab omni ratione alienum sit, ab istiusmodi cibo abstinere, cui peculiarem ad causas rerum perquirendas atque cognoscendas virtutem Creator impertitus fuerit. Sic persuasa Eva non ipsa solùm arboris vetitæ fructum sumsit, sed maritum etiam in con-

for-

confortium sceleris pellexit, iusto mox divinæ Majestatis iudicio trigam hanc delinquentium persequente. Adamo & Evæ suæ peculiare inflictae sunt poenæ, cum ipsa peccatorum qualitate necessariô vinculô connexæ. Serpens verò sermone & ratione, quin & externo corporis ornatu privatus atq; in terram pronus dejectus est, tetrum posthac & exosum animal futurus, qui in ordine animantium primas hæctenus tenuerat, ab homine proximus & reliquis feris agri omnibus superior. Ita ille.

IX. Præter hos (2) fuerunt alii, qui colubrum hunc deceptorem de ipso Christo interpretati sunt. Ita Augustinus testatur, Ophitas docuisse serpentem cum Eva collocatum Christum fuisse ipsum. Unde & colubrum nutrivere & venerati sunt, qui incantante sacerdote egressus de spelunca, &c. Idem narrat dictô locô ab aliis tradi, hujus serpentis cultum à Nicolaitis seu Gnosticis ad Ophitas deductum fuisse, Lamb. Danaë in notis ad Sec. II refert eos, & in Ægypto collocat, ob ejus regionis & gentis idololatriam, qui etiam tunc Ibes, Grocodilos & hujusmodi ferarum genera pro diis habuerint. Vide eum l. c. pluribus.

X. Tertia sententia illorum est, qui contendunt, solum Diabolum, exclusó prorsus naturali serpente, à Mose intelligi. Cujus erroris Cajetanum accusat Cornelius à Lapide. *Cajetanus*, inquit in Comment. in h. l. *per serpentem intelligit Diabolum, qui non externâ voce, sed tantum internâ suggestionem tentavit Evam.* Fagius in h. l. Cabalistas etiam hoc nomine arguit, quòd per serpentem Satanam intelligant, quem  $\omega\mu\alpha$  ab ariolando & divinando dictum velint. Huc fanè pertinet opinio illorum, qui solum diabolum hic loquentem & seducentem agnoscunt, sed sub forma saltem externa serpentis, assumtô scil. istius-  
mo-

modi corpore, in quo per modum spectri, ad serpentis instar, Evæ apparuerit. Cornelius à Lapide hanc in rem Augustinum Steuchum, Eugubinum, in Cosmop. uti & Cyrillum l. 3. contra Julianum citat, quem bonâ fide sequuntur Pfeiffer. in *Dub. Vex. l. c.* Polus, Osiander. &c.

XI. Sed quod Cyrillum attinet, nulla equidem dictô locô explicationis hujus indicia deprehendere potui, cum simpliciter dicat: ὅτι τῆ τῆ πονηρῆ τε καὶ ἀρχαίας δαίμονος ἐνεργείᾳ γέγονεν ἡ Φωνὴ προκαλύμμα τῆς ἐνάτης αὐτῶ σκαιότητος ποιημένη τὸν ὄφιν. Latinus interpres vertit: quod improbi, & malorum Principis demonis efficaciam facta sit vox, malignitatis suæ pretextum serpentem obtendentis. Hæc ipsa verba contrariam potius Cyrilli mentem declarant, cum affirmet dæmonem, serpente, tanquam umbraculo fraudis suæ, abusum esse, & in ejus ore vocem efformâsse, nequaquam verò spectrum, sub forma tantum serpentis parentibus nostris exhibuisse. Confirmat hanc explicationem ulterior Cyrilli contra Julianum disputatio, quâ effictas à dæmonibus voces, non sanè ex assumpto æreo quodam corpore, sed ex ipsis veris animantibus & aliis creaturis emissas, Sophistæ huic opponit: Xanthum videlicet, Achillis equum, ex Homero, cui Juno juxta Poëtam vocem indiderit; Caucasum flumen, quod Pythagoræ transeunti responderit, *Ave Pythagora*, narrante Porphyriô; ulmum Thebanâ, quæ, si Philostrato fides habenda, Apolloniû compellârit, voce & articulatâ & foemineâ; Dodonæam quercum, quam humanâ voce usam jactitent Gentiles &c. quibus productis sic tandem concludit: *Vide sis igitur, ut impostorum ludibria planè demonstrent, naturæ dæmonum inesse, ut efficere interdum voces queant, neque è sensu præditi modo animantibus ( quod*

B

scil.

scil. in Mose, historiam serpentis Paradis. narrante, irri-  
ferat Julianus) sed & voce & sensu expertibus, aqua, dico,  
& arboribus. Cum ergo manifestum sit omnibus, non fuisse  
allocutum mulierem solum & per se serpentem, qui natura sit  
nec ratione nec intellectu præditæ, veruntamen subisse ejus  
personam mali Patrem, Satanam, ὁ ἕδου γὰρ μὴν τὸ ἀὐτὸς πρῶτος  
ἄνθρωπος ὁ ἀρχὴν αὐτῶν σατανᾶς &c. Hæc ita dilucida & per-  
spicua sunt, ut nullum dubitationi locum reliquum  
faciant.

XII. Rectius ad hanc classẽ refertur Alcimus  
Avitus l. 2. v. 121. locum Mosis ita παραφραζων

*Forte fuit cunctis animalibus altior astus  
Æmulus, arguto qui callet pectore, serpens:  
Hujus transgressor de cunctis sumere for-  
mam*

*Eligit, æereum statim sibi corpus adaptans.*

Consentit B. M. S. H. in not. ad Lightfoot. observ.  
in Genes. pag. 92. seqq. Inter eos, qui serpentem  
â Satana obsessum & ad tentationem Evæ adhibitum  
fuisse negant, Osiander in h. l. Mosen etiam Amy-  
raldum recenset. Nos! non immeritò huc referi-  
mus Balthaf. Beckerum, monstri Virum ingenii.  
Is in tract. suo, quem inscripsit, *Orbem Fascinatum* l. 2.  
c. 20. ex instituto hoc agit, non, ut Mosen obscurius fortè  
loquentem in lucem producat, suisque observationibus  
illustret, sed ut tenebris magis ac magis involvat, & Le-  
ctoris animo nebulas offundat. Satanam sceleris au-  
torem agnoscit, sed modum, quò nocuerit Parentibus  
nostris, eosque in societatem apostasiæ pertraxerit, in-  
explo-

exploratum esse statuit : Hunc certè, quem Theologi vulgò comminiscantur, de Serpente à Satana obsessò, ineptum, & ab omni ratione prorsus alienum esse ait. In hunc finem cumulat varias absurditates, quibus dictam Theol. sententiam premi contendit, quas tamen, si quis excutere velit, non nisi paleas deprehendet nullò negotiò difflandas. Post longas tandem ambages, & varios gyros, in quos sese mirum in modũ, serpentis instar, contorquet, sinuosa ejus dicta huc collimant : Serpentem naturalem nullò modò Capite hóc III. intelligi posse, sed nec Satanæ Mosis verba convenire, nec, quod vulgò credatur, composito ex serpente & Cacodæmone, existare autem híc figuratam saltem descriptionem seductionis per Satanam factæ, quam Moses certis de causis allegoriã à serpente desumptã expresserit, incertum, quò consiliò, quò fine, & quò tandem sensu.

XIII. Quamvis inter regulas Scripturam S. interpretandi hæc quoque compareat, quæ à proprietate verborum recedere prohibet, nisi evidens nos cogat necessitas, sunt tamen, qui hanc Mosis de serpente narrationem ad allegorias detorquent, ut nec serpens naturalis, nec Dæmon, nec Christus innuatur, sed carnalis voluptatis, Protoplastos, propriã ipsorum culpã, pessundantis descriptio h. l. reperiatur. Philo certè de Mundi Opificio rectè ait *conjici posse* ὄφιν εἶναι ἡδονῆς σύμβολον, citante Clerico Comm. in h. l. qui & Maimonidem addit Part. 2. Mor. Neb. c. 29. allegoricè hæc exponentem, succinentibus nonnullis recentioribus Rabbiniis. Pfeiff. Dub. Vex. l. c. citat ipsum etiam Philonem L. 2. Alleg. Origenem Hom. 13. in Exod. & R. Happenini in Bechinat Olam. De

Origene Huëtius in suis *Origenianis* l. 2. qu. 12. num. 7. observat, quòd Paradisum hunc, qui terrestris vulgò dicitur, in tertium cœlum translocaverit, arbores verò, aliaque, quibus velut terrestris notatur locus, ac reliqua denique omnia, allegoricè explicârit, animasque in cœlo degentes per Adamum & Evam, crimina, quæ illic animæ admittunt, per vetiti mali esum, animarum exilium per expulsionem primorum Parentum è Paradiso, terrenum corpus per tunicas, quibus Adamum & Evam Deus induit, signari opinatus sit. Ibidem monet, Origenem in hanc sententiam à Philone pertractum, à Papiæ etiam, ab Irenæo, Pantæno & Clemente Alexandrino, quos Paradisi & sic serpentis in Paradiso descriptionem ad mysticam expositionem deflexisse, narret Anastasius Sinaïta l. 7. Anagog. Contemplat. eorumque deinde exemplo Gregorium utrumque & alios.

XIV. Ante paucos annos prodiit Dissertatio Viri cujusdam non incelebris *de Obligatione forensi Juris divini*, qui itidem non nisi allegoricum hîc sensum agnoscere videtur. Hæc enim statim ab initio dictæ Diss. occurrunt verba: *Sanctissimus natura conditor ab homine primo exegit, ut nil nisi gloriam DEI & vitam in DEO quærendam sectaretur, ac per hoc veræ sapientiæ studium, tanquam cibum mysticum, immortalem vitam ac felicitatem consequeretur, Gen. III. 22. (quod per typum arboris vitæ à Mose, stylò hieroglyphicò, adumbratum esse, innuit prudentissimus hominum Salomon Prov. III. 18. XI. 3. XIII. 12. XV. 4. & verbum, quod ab initio coram DEO fuit, nos docuit, quòd ipse sit cibus vitæ, cujus sanctissimâ fruitione homines vitam æternam consequi possent Job. VI. 35. 1. Joh. V. 20. Apoc. II. 7. XXII. 2.) è contra ut is ab omni voluptate & à cognitione*  
pro-

Proprii boni, seu jucundi, quàm maximè caveat, seriò admonuit, (quod per schema arboris cognitionis boni & mali indigitatur,) ne scil. à vera semita arboris vite, prout jam explicata, recedens non unicè, quid Creatori gloriosum, sed quid ipsi bonum jucundum ve sit, aut non sit, scire desideret, in summa, omnem voluptatem carnis vitaret. At postquam in omni felicitate mundana (quod innuit imago horti in Eden,) constitutus homo voluptates brutorum animadvertit, simulque concupiscere & ad voluptatem suam sui simile querere incepit, & sic in profundum somnum illapso eidem Eva associata fuit, vasa calliditas querendi voluptatem (quæ per serpentem indigitatur Syrach. XXI. 2. 2. Cor. XI. 3.) primo Evam invasit, per quam Adam incitatus se quoque exitiali huic cibo commisit, post cujus fruitionem uterque animadvertit, se jam perfectione in Deo unicè querendâ, hujusve gratiâ, denudatos esse, indeque pudore summò afficiebantur, ac propterea præcipua hujus calamitatis instrumenta protegere studuerunt &c.

XV. Conqueritur de hac Interpretum quorundam audaciâ in pervertenda tentationis historia Autor Anon. in *Mose Vindicato*, cujus Excerpt. habentur in A&Lipf. ann. 1695. p. 20. seq. ubi ex merito redarguuntur, qui in rebus planis *μυστωρολογίαι* amant & rimari mysteria, ubi nulla sunt. Ad eum modum Eclogas Virgilio in allegorias olim transformatas fuisse à Ludov. Vive, Passerem Catulli *μυσικώτερον π* designasse Politiano & Turnebo, Homerici carminis mysteria Jesuitarum aliquem revelasse &c. Nemo tamen majorem vel audaciam vel malitiam ad allegorias ejusmodi attulit, quàm Hadrianus Beverlandus Seelandus D. Juris & Advocat. cujus & meminit Rever. Dn. Benthem de Politia

Ecclef. & Schol. in terris Batavorum : Is conscripto pestilentissimo tractatu de Peccato Originis detestandam animi sui spurcitiem prodidit, & sacram hanc de serpente tentatore historiam impuris suis translationibus foedè collutulavit, ut petulantiam hominis carcere & vinculis coërcere opus fuerit. Palinodiam tamen haud ita pridem in Anglia cecinit (referente hoc Autore Menstr. Colloqu. Germ. anno 1698. p.846.) & hunc ipsum tractatum de Pecc. Originis unà cum aliis aeternis tenebris damnari optavit, imprecatus omnes calamitates, si quis negligat MSS. sua vel Vulcano tradere vel ad Autorem remittere.

XVI. Sequuntur nunc ordine alii, qui & Satanam & Serpentem naturalem Cap. hōc tertiō describi censent, conjungentes hāc ratione malum genium cum visibili creatura, quorum vel neutrum, vel certè non utrumque praecedentes admisere. Judæorum quorundam hac de re opinionem adscribam Gallicis M. Jaquelot verbis, quæ exstant in Dissertationibus ipsius de Messia p. 42. *Les Docteurs Juifs nous disent, que Samäel estoit le Chef des Anges, qu'il eut de la jalousie de la gloire de l'homme, que Dieu lui avoit commandé d'adorer, que pour cet effet il se servit du Serpent, qui estoit grand comme un Chameau, qu'il monta dessus pour tenter Eve, dont il souhaitoit la jouissance, qu'il reüssit en son entreprise, & qu'Eve eut de lui Cain. Selon cette explication Eve est le jardin, & l'Arbre du milieu &c. Rambam Mor. Neboch. 2. c. 31. de hoc Samäele ita: Coluber fuit equitatus & ejus quantitas sicut cameli & equitatus ejus fuit, sicut ille, qui decepit Evam, & ipse fuit Samäel, hoc autem nomen dicunt præcise de Diabolo,*

XVII.

XVII. Inter Christianos fere omnes *εξαγωνα* est; Cacodæmonia ipsum serpentem naturalem ingressum atque ore ejus abusum esse ad decipiendam Evam, qui proinde præ bruto animanti Cap. hoc Illtio. præcipue spectandus sit. Augustini verbis communem hanc Ecclesiæ sententiam exponit Franzius Schol. Sacrific. Diff. II. th. 15. *Diabolus suo instinctu serpentem implevit, eique spiritum suum miscuit, eò more, quò postea vates demoniorum implere solitus fuit.* Plura Patrum loca dabit Osiander in h.l. Verum enim verò in applicatione ad v. 14. & 15. mirè interpr. SS. inter se dissentiunt. & in diversas partes abeunt. Calvinum inculpavit Hunnius tanquam Judaizantem, quòd omnia verba utriusque versùs duplicem habere respectum dixerit, alterum, ad serpentem naturalem, alterum, ad serpentis infessorem, Diabolum. Calvinii gloriam vindicandam suscepit Paræus, cui mox respondit Hunnius in Anti-Paræo, cumque is Comment. suo in Genes. post fata Hunnii veteres excusationes novis incrustaret, hyperaspistem hujus se gessit Helvicus in Prot-Evangelio. Rivetus in h.l. Paræo adhuc rigo-rosior est, & acerbè in Hunnium invehitur, quasi Calvini sententiam perverterit, cui se postea opposuit Seb. Schmid. in Coll. Bibl. priori p. 146. 147. Pfeifferus in Dubiis Vex. Cent. I. Loc. VIII. p. 27. 28. Ephrem Syrum, Barceph. Toftat. & Cornel. à Lapide citat, qui utrumque versiculum utrique tam serpenti, quàm Diabolo assistenti, literaliter tribuant; Mercerum verò, Calvinum, Rivetum, Grotium, & Paræum testatur serpenti naturali literaliter cuncta applicare, Diabolo autem anagogicè & figuratè. Ipse Pfeifferus unà cum Gerhardo, Meisnero & aliis v. 14. de solo serpente naturali sermonem esse statuit,

&

& v. 15. de solo dæmone. Hunnius è contra v. 14. applicat etiam dæmoni, & de organo eum non minùs, quàm de obsessore exponit, v. 15. de solo dæmone. Seb. Schmid. l. c. utrumque versic. & 14. & 15. de solo interpretatur Diabolo, exclusò prorsus serpente naturali, idque argumentò quòdam evincere conatur.

XIX. Sunt denique, qui malunt in re tam obscura *ἐπιχρη*; quos inter Clericus in h. l. tutissimam putat esse ignorantiaë confessionem: Liquidò enim ex hoc ænigmate hoc tantum cognosci posse putat, primos humani generis parentes initium fecisse peccandi, unde innumera mala ipsis eorumque posteris incubuerint. At quomodo peccatum in orbem ingressum sit, adeò, ut primi peccati circumstantias perspicuè & sine ulla dubitandi ratione intelligere possimus, indicare eorum esse, qui rei interfuerunt, si reviviscerent.

XIX. Etsi temerarium videri possit, in tanta doctiss. Virorum disensione Palæmonem agere, & quod ajunt, in Mercurii acervos lapidem suum injicere, præfertim, cum agnoscente B. Gebh. Theod. Meiero, Theolog. Celeberr. Histor. Relig. p. 56. *insuperabiles hæc historia difficultates habere videatur*, non tamen, opinor, æquus Lector vitio vertet, si modestè sententiam nostram subjungamus tribus sequentibus propositionibus inclusam. I. *Serpens, quem Deus alloquitur v. 14. & 15. non est nudus serpens naturalis, excluso Dæmone sed hic præcipuè per illum indigitatur.* II. *Serpens, quem Deus alloquitur v. 14. non est nudus Satan, sed sensu solim primariò & adæquatò, sensu verò secundariò, & inadæquatò etiam serpens naturalis.* III. *Serpens, quem Deus alloquitur v. 15. juxta sensum principalem & adæquatum, sine dubio est Satan, non verò improbabili-*

*babile est, etiam hęc ipso versiculo, sub quodam modo, ipsum serpentem naturalem, æquę ac priori v. 14. connotari.*

XX. Prius ut asseramus, non pauca suadent argumenta, quorum aliqua saltem in medium afferemus. (1) Moses narrat hoc ipso Cap. III. serpentem callidum fuisse, ex omnibus animantibus terrę. Vox  $\alpha\lambda\epsilon\iota\sigma$  ordinarię in malam partem accipitur, & calliditatem seu astutiam notat, quę quis in proprium commodum, etiam cum alterius innocentis detrimento conjunctum, vaser est ac solers, parum curans, utrum legi divinę suęque officio convenienter agat, nec ne. Ita vocem hanc *I. Sam. XXIII. 22.* de insidiosis hominibus, atque ex cavernis erumpentibus adhiberi monet Clericus in h. l. & Drusius in Bibl. Crit. h. l. Jonathanem allegat, qui verterit *sapiens ad malum.* Aquila exponit per  $\alpha\sigma\upsilon\lambda\omicron\sigma$ , Vulgatus *Prov. XIII. 16.* per *astutum* exprimit *Prov. XII. 13.* *versutum* exponit *Prov. XXII. 3.* *callidum.* *Job. V. 12.* *malignum* *XV. 5.* *blasphemantem.* De locis Proverbiorum incerta quodammodo res est, (cũ ea in contrariam potius partem interpretetur Bochart. in Hieroz.) quin tamen Judęi in nostro hęc textu vocem illam de calliditate perversã vulgõ intellexerint, dubitare nos non sinunt, quę Moses in seqq de serpente hoc recenset, talia quippe, ut fraudulentę ac culpabili potius astutię, quã sincerę prudentię aut sagacitati adscribenda sint. Confirmat hanc explicationem Apostolus *II. Cor. XI. 3.* ubi dicit:  $\delta\ \delta\phi\iota\varsigma\ \epsilon\upsilon\alpha\nu\ \epsilon\zeta\eta\pi\acute{\alpha}\tau\eta\sigma\epsilon\nu\ \epsilon\nu\ \tau\eta\ \pi\acute{\alpha}\nu\theta\epsilon\gamma\iota\alpha\ \alpha\upsilon\tau\eta.$

XXI. Quęso Te, benevole Lector, nonne hanc veluti primam nobis statuam fixit divina Sapiencia, ne festinantes necessariam hęc cautelam negligereamus,

C

fed

sed in sensum & causam hujus calliditatis sollicitè inquireremus? Hæc scil. scrutanti non potest non in mentem venire cogitatio. Quid audio? Num serpens, animal à Deo in statu bono creatum, fuit astutum & in aliorum perniciem intentum? Istane erat brutorum erga homines subjectio, ista reverentia & obsequium, ut fraudulenter eorum saluti insidiarentur & in interitum illorum dolos necerent? Quis casus depravavit creaturam tam bonam, & ad hominis, domini sui, felicitatem ab ipso Creatore destinatam, ut contra hanc primævam DEI intentionem ipsi insidias strueret, omnesque veluti machinas ad subvertendam eorum felicitatem admove- ret? Deus fanè astutiæ & calliditatis autor non est, sed sinceræ prudentiæ & amoris, nec vero est simile ordi- nem semel ab ipso institutum, subjectiois brutorum erga homines, ab eodem mox turbatum fuisse. Sed nec bonis Angelis tribui ullâ ratione potest, quòd ser- pentem astutum reddiderint, eumque in habitatione suâ ad fraudes & mendacia instruxerint. Quid ergo restat, quàm ut malum aliquem spiritum, divinâ per- missione, hoc animans occupasse, eoque ad decipien- dos Protoplastos ab usum esse dicamus, cum & aliàs constet, Satanam peccati & mortis autorem esse, & pœ- na serpenti in juncta demonstret, eum nequaquam juxta voluntatem Creatoris, sed perversè & nequiter cum Pa- rentibus nostris egisse?

XXII. Ita proinde Mosis verba intelligamus: *Et serpens fiebat* (nam  $\text{היה}$  Ebræorum non minus per fieri, quàm per esse reddi potest) *callidus inter animan- tia terra*, cum scil. malo cuidam spiritui in organon cederet. Obstare quidem videtur, quòd calliditas reliquis  
*etiam*

etiam animantibus, juxta receptam Interpretum versionem adscribatur, serpens verò callidior reliquis fuisse dicatur. Sed Resp. ex Observ. Clerici ad v. 14. חכיל Ebr. quod alii vertunt, quasi esset comparativi Ebraica circumlocutio, (hæc sententiâ, erat magis callidus, quàm omnes bestię) admittere interpretationem exclusivam, quam & Vulg. in v. 14. sequitur & יד significare sæpe idem quod inter, ut Dan. I. 19. Joel. I. 12.

XXIII. Hanc primam conjecturam sequentia Mo-  
sis verba confirmant, dum serpentem hunc articulatâ  
voce locutum, nec sine rationis quodam usu cum Eva  
confabulatum esse testantur. Quis enim naturali hæc  
serpenti tribuat, aut quis ausit asserere, hanc fuisse ani-  
mantis hujus, in statu integritatis, perfectionem, cum  
hæc de re tam in reliqua creationis historiâ, quam  
in cæteris Scripturæ libris ne יד quidem exstet Er-  
gõne animantibus omnibus rationis & sermonis fa-  
cultas concessa, aut num hæc fortè solius serpentis præ  
aliis fuit eximia quædã prærogativa, ut non secus, ac ho-  
mines, Deū potuerit agnoscere, ejus attributa atq; man-  
data percipere, hominū præsentem conditionem perlu-  
strare, objectam ab Evâ veritatem ingeniosè pervertere,  
aliud ex alio inferre, atque sermone externò animi sui  
sensa distinctè expromere? Neminem puto tam auda-  
cem fore conjectorem, qui hæc, nullò nixus funda-  
mentò, suspicari, atque pro vero similibus venditare su-  
stineat, nisi se ipsum aliis, difficilioribus & severis,  
ingeniis exagitandum præbere velit. Certè in de-  
scriptione poenæ, serpenti inflictæ, nulla fit mentio  
ablatae vel rationis, vel orationis, sed solum inclinati  
super ventrem corporis, necessitatis comedendi pul-  
verem

verem, & aliorum, quæ de serpente naturali intelle Et  
vix aliquod momentum habent, si cum privatione λόγος  
comparentur.

XXIV. Ex adverso nemini mirum videri debet, si  
usitatâ Synecdoch: instrumento adscribantur, quæ au-  
tori & causæ principali propriè conveniunt. Vide quæ  
supra ex Cyrillo adduximus, Juliano Apostatæ opposita.  
Obviæ passim sunt hujusmodi locutiones apud profa-  
nos autores. v. g. cum, observante Rivetô *Exercit.*  
*XXVIII. in Genes.* Valer. Max. narrat, simulacrum Ju-  
nonis, nec non aliâ vice, simulacrum Fortunæ esse lo-  
cutum, cum apud Julium Obsequ: *de Prodig. c. 38.* legi-  
mus, bovem Priverni locutum fuisse, cum Plin *l. VIII.*  
*c. 41.* inter prodigia refert, eô annô, quô Tarquinius re-  
gno pulsus est, serpentem instar canis latrâsse. Conf.  
Carol. Sigon. *Imp. Occid. lib. VII. ad ann. 366.* Greg. Mi-  
chaël. *Notas in Gassarelli Curiosit. not. 24.* Mœb. *de O-*  
*rac. Gentil. c. 3. p. 89. seqq.* Quin imò, quod de asina Bi-  
leami herum suum redarguente *Num. XXII. 28. 29. 30.*  
refertur, hoc ipsum Augustinus *in illum loc. & de Gen.*  
*ad lit. lib. II. c. 28.* non aliter intelligit, ita scil. explicans,  
*quòd Angelus DEI in Bileami asinæ ore vocem & articu-*  
*lata verba formaverit.*

XXV. Pœna creaturæ rationali, qualem ex hoc  
serpente adversarii nostri effingunt, inflicta propriè sup-  
ponit culpam & malū actionis cum ἀνομία, nec temere aliô  
sensu capienda est. Statuendum igitur erit, juxta dissen-  
tientes, serpentem hunc naturalem, latam sibi à summo  
Creatore legem nefandô scelere violâsse, atque justam  
hanc Legislatoris vindictam promeruisse. Quis verò,  
præter lapsum Angelorum & hominum, de serpentum  
lapsu

lapſu in Scriptura quicquam legit? Quis propagationem peccati hujus in ſerpentes alios, ad hæc uſque tempora, quis damnationem eorum & pœnam infernalem ſibi perſuaſerit, aut, ſi negari iſta debent, rationem ullam diſparitatis concipiat, cur ſeduc̄ti hominis, non verò ſeduc̄toris ſerpentis, lapſum triſtes hi effectus ſint conſecuti? Exſpirat autem omnis difficultas, ſi Satanam hîc poſt ſiparia latentem agnoſcamus, cujus & malitiam & ſupplicium apertè nos Scriptura S. paſſim edocet.

XXVI. Sicut nulla porrò ratio excogitari poteſt, quæ ſerpentem merè naturalem moverit ad facinus hoc perpetrandum, ita vero maximè diſſimile eſt, Evam à ferâ agri ad tantum ſcelus perſuaderi ſeſe paſſam eſſe. An forte Eva ignorabat, omnia animantia imperio ſuo ſubjecta, & longè infra ſuam dignitatem eſſe? (contra *Gen. I. 28.*) Adeòne præſtantia ſuâ obliſci, & multò ignobiliori creaturæ aurem præbere, tantumque tribuere potuit, ut meri animantis explicationem aut dubitationem ſuo ſenſui & conſcientiæ poſtponeret? Fecit tamen, inquit, obedivit, perſuaſa eſt: Fecit, inquam, omninò, ſed falſâ opinione decepta, quòd putaret, ſerpentem à ſpiritu quodam bonò obſeſſum, & Genii cujuſdam cœleſtis instrumenti eſſe. Ita Max. Rev. Wincklerus, Theol. Hamb. contra Beckerum diſſerit, exiſtimans, primos noſtros parentes procul dubio jam ante Satanæ tentationem, bonorum Geniorum commerciò gavifos fuiſſe, atque hinc mirum non eſſe, quòd Evæ, ſerpentis ſermonem audienti, nulla tentantis Satanæ ſuſpicio ſuborta fuerit, Angelorum quippe familiaritati & pluribus forte apparitionibus jam aſſuetæ; quam in rem laudatus Autor Patrum quorundam Eccleſiæ testi-

nia in subsidium affert. Facem ipsi quoad hanc conjecturam prætulerat B. Danhauer. *Cas. Consc. Part. I. p. 5.* ubi ait: *Mulier nihil mali suspicata Angelum bonum loqui opinata est, utpote quæ de lapsu τῶν ἰεραγγέλων nihil adhuc audi-visset.*

XXVII. Confirmat hanc explicationem Simonis, Episcopi Eliensis, inter Britannos, observatio, qui in *Commentario suo in Genesin* anno 1695. publicato, monet, fuisse in meridianis & orientalibus orbis regionibus serpentum genus alatum, atque insigni splendore haud secus, ac flamma coruscans. Nominatum id esse שרף pro-ut constat ex Num. XXI. 6. 8. Es. XIV. 29. Jam, cum hoc ipsum nomen Angelis, DEI coram throno Ministris, tribuatur, qui Es. VI. 2. 6. & alibi שרפים dicuntur, suspi-catur Autor cum Rev. Tenisonio, Angelos illos Seraphinos שכיות, quam Judæi vocant. i. e. majesticam DEI appari-tione, sub formam serpentibus illis Africanis non absimili, alis coruscantibus instructos, comparuisse. Eandem itaque il-lustris istius serpentis imaginem Diabolum, Evam Angeli lu-cis specie decepturum, induisse, cujus conspectu seducta etiam fuerit mulier, Seraphinum, quales in apparitionibus di-vinis antea vice plus simplici forte conspexerat, esse rata. Ita in-telligendum Tertull. cum de præscr. hæ. c. 47. ait, istum fuisse serpentem, cui Eva, ut filio Dei crediderit. coll. ejus d. lib. contra Valent. c. 11. Ita dictum hæreticorum apud Epiphanium hæ. 37. 11. 25. capiendum, Evam, à serpente tentatam. πεισθῆναι ὡς ὁ φῶς, Debeo hæc A& Erud. Lips. ann. 1696. p. 197. 198.

XXVIII. Objicere hæc quidem solent, verba ser-pentis, quibus Evam allocutus esse dicitur, indigna esse tam callidò spiritu, qualem Satanam nobis Scriptura describat. Sagacis fortè animantis cujusdam, fermo-  
ne

ne instructi, majorem perspicaciam non fuisse, nullum tamen esse dubium, quin versutissimus ille dolorum architectus, Dæmon, imò Princeps dæmonum, *Apoc. XII. 7. 9.* callidiori longè commentò fabricam suam instructurus fuisset, si is quidem homines externâ persuasione vinculis suis irretire in animo habuisset. Resp. Factum hoc Satanæ ritè perpendentibus, insignem omninò apparere astutiam, qualis vix à merò tunc animanti, etiam callidissimo homini, saltè quoad acumen mentis, longè postponendo, expectari potuisset, ut hâc etiam ratione Thesi nostræ, de Dæmone, serpentis obsessore, novum pondus accedat. Inspiciamus paulò penitiùs in hoc negotiò *Γαβαθην τῆ Σατανᾶ* juxta filum Historiæ nostræ.

XXIX. Non sine astutiâ (1) Diabolus Evam potius, quàm Adamum aggressus est, quòd hæc fortè non immediatè ab ipso Deo, prout Adam, sed à marito interdiktum Domini audivisset, observante Ambrosiò apud Bebelium *Ecclesie Antedilu. p. 116.*

XXX. (2) Non conatur persuadere homicidium, mendacium blasphemiam &c. quæ cum naturali lege ita manifestò pugnant, ut, commendando ista, malitiam suam nullò modò occultare potuisset, sed esum cibi à DEO creati, tanquam rem, per se minimè malam. (3.) Cum obstaret mandatum DEI, de non comedendo fructu arboris vetitæ, directè illud impugnare non audet, ne fraus illicò appareret, sed indirectè & velut per cuniculos rem aggreditur, ab interrogatione scilicet exorsus, utrum Deus hoc dixerit, quod ab Eo dictum Eva opinabatur: quò pactò mulieri dubia suggerere intendit, an Deo istiusmodi mandatum ad scribi possit, annon deceptus forte fuerit Adam, quacunque ratione, an hæc  
Dei

Dei mens fuerit, quam sibi conceperit Eva, an mariti sententiam rectè satis fuerit affecuta? &c. Sic scilicet sperabat fore, ut Eva magis ac magis fluctuare inciperet, si videret Angelum aliquem, per serpentem secum loquentem, interdicti hujus certitudinem vocare in dubium, nec illud judicare congruum esse, vel divinæ bonitati, vel præfenti hominum felicitati.

XXXII. Nec contemnendum, quod (4) hâc occasione quidam observant, Diabolum studio arboris scientiæ boni & mali disertam mentionem facere noluisse, sed sermonem suum ad omnes arbores in genere deflexisse, *מכל העץ והגן* ut consilium suum, ad hanc unicam arborem directum, tantò magis coram Eva tegeret, nihil nisi candorem & simplicitatem præ se ferens. Primum tamen ictum rectè declinabat Eva, respondens: omninò Deum vetasse, ne hujus arboris fructu vescerentur: poenam etiam eundem comminatum esse, fore, ut comedentes mortem sibi attraherent. Sunt nonnulli, qui jam in hâc mulieris responsione peccati, & nutantis animi vestigia deprehendi optantur, eò quòd non solum præcepto divino *Ne comedatis* addiderit de suo: *Neque tangatis*, sed etiam, quòd divinæ vocis certitudini substituerit dubitandi particulam *¶ Forte moriemini*. Sed non est, ut, absque omni formidine oppositi, Evam hò: nomine inculpemus, cum vox tangendi potuerit esse *אין להגיע אליו*, & respectum ad comestionem habere (quòd referunt aliqui *Col. II. 21.*) particula autem *¶* non semper sit dubitantis, sed etiam affirmantis *Prov. XXIV. 18. Mal. III. 24. &c.*

XXXIII. (5) Satanus obliquâ suâ objectione viam sibi præmunitam esse putans jam cominus arma sua in-

intentat, non sine spe victoriæ, cum Eva jam passa esset sibi hæc objicere, nec protinus cum indignatione istam propositionem rejecisset, quod factum oportuerat, juxta Chryostomum apud Bebelium *loco cit.* Falli nimirum, ait, Evam, quæ Deo interdictum tale tribuat, à cujus bonitate nihil magis sit alienum: Nihil enim certius esse, vel ipsò Deò teste (ita hanc locutionem de formulâ juramenti exponit Sibersma *Lehre der Wahrheit* p. 89. & alii; Conf. II. Cor. XI. 31.) quàm homines multò majorem cum Deo similitudinem consecuturos esse, quamprimùm fructum arboris hujus comesturi sint: (aut, si mavis, Deum, in quem invidia non cadat, nequaquam potuisse fructum tam salutarem prohibere, cum non ignoret &c.) Vocari hanc arborem scientiæ boni & mali, quod ipsis argumento esse possit, fructum ejus ad adipiscendam hanc scientiam, in qua divini perfectionis non minima pars consistat, certissimum esse medium ab ipso Creatore ordinatum.

XXXIV. Alii, ii que Summi Viri, malunt hæc verba per invidiam, cum Patribus, explicare, sequenti sensu: Nolite credere Deo, qui vobiscum fraudulenter agit & felicitatem hanc vobis invidet, cum ipse quàm optimè norit rem secus sese habere, vosque &c. Sed, ut verum fatear, explicationem hanc nunquam concoquere potui. Adeòne enim stulta fuerit Eva, ut hoc sibi persuadere potuerit, quod ne nunc quidem quamvis corrupta ratio admiserit. Nòrat fanè, se è costa viri à Deo creatam, egregiisque dotibus ornatam esse, agnoscebat summam Numinis bonitatem in creaturis aliis, summam ejus felicitatem, in quam invidia nullò

D

mo

modò cadere poterat, suspiciebat, & tamen crediderit, Deum hominibus bonum aliquod invidere? Præterea, num Eva tam inepta fuerit, ut putârit fructum aliquem, invito Creatore, impertiri sibi posse scientiam summam, seque reddere Deo ipsi similem? Infantilis hæc fuisset ruditas, non cogitatio hominum ad imaginem Dei creatorum. Quin potius, sicuti Satanas in primâ sua interrogatione, non ipsam rei veritatem, quamvis suppositò divinò mandatò, sed hoc præcipuè in dubium vocârat, utrum Deus revera hoc dixerit, quod ab eo dictum credebatur Eva, ita verosimillimum est, eundem ad mulieris affirmationem *v. 3. Dixit Deus: non comedetis &c.* nunc excipere voluisse, atque mulieri persuadere, non potuisse tale mandatum à DEO proficisci, cum istud ab ejus benignitate & spectata tot indicibus clementia erga homines prorsus sit alienum. &c. Meritò interim detestamur veteratoris hujus nequitiam, qui invidiâ turgens, in adeò paucis verbis tot mendacia cumulat. *Ex his enim apparet liquido, (utimur verbis B. G. Calixti ad h.l.) quàm benè & verè suis coloribus Diabolum depinxerit Salvator Joh. VIII. 44. cum ait: ille fuit homicida ab initio, & mendax est, & pater mendacii i. e. primus omnium, qui mendacium dixit. Sunt enim hic perspicua & splendida mendacia. Primum: non moriemini secundum: aperientur oculi vestri; Tertium: Eritis sicut DEUS; Quartum: scietis bonum & malum. Quintum, novit hoc Deus. Judica jam benevole L. num hæc malò dæmone aut summâ ejus astutiâ indigna sint, aut num majori artificiò humano generi insidias struere potuisset, quàm quod hætenus, pro dissertationis hujus angustia, explicavimus?*

XXXV. Agnoscendum proinde est, impostorem hunc ipsum fuisse Cacodæmona, qui sub serpentis habitu paradysum ingressus, tristes in eo tragœdias excitavit, atque animans hoc, per modum formæ assistentis, occupatum tenuit. Utinam Eva hunc hostem suum, & tam crassa ejus mendacia mox animadvertisset, neque Sôphistæ huic aurem accommodasset! Verùm enim verò, postquam per oculos concupiscentia animum ejus semel invaserat, & voluntatem in consensum traxerat, tam altas ea egit radices, ut nec manus amplius ab hâc arbore cohibere potuerit, nec ipsa solum infelicem hunc fructû decerpserit, gustârit, comederit, verùm etiam marito similis peccati causa atq; occasio fuerit. Atque hâc ratione uterque, Adam & Eva, iræ divinæ reatum contraxere, qui que fieri cupiebant *ισόθεοι*, facti sunt *μισόθεοι*, malum, proh dolor! locò amissi boni, in semetipsis experti, cum, oculis apertis, cognoscerent, quòd nudi essent vers. 7. De gravitate hujus delicti & condignitate divini supplicii rectè Augustinus *lib. XIV. de C. D. c. XV.* *Quisquis Adami damnationem hujusmodi vel nimiam, vel injustam putat, metiri profectò nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat in non peccando facilitas: Sicut enim Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia, ut occideret filium, res difficillima est imperata: ita & in Paradiso tantò major inobedientia fuit, quantò id, quod præceptum est, nullius difficultatis fuit. Et sicut obedientia secundi hominis eò prædicabilior, quâ factus est obediens usque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eò detestabilior est, quâ factus est inobediens usq; ad mortem. Ubi enim magna est inobedientiæ pœna proposita & res à Creatore facilis imperata, quisnam satis*

*explicet, quantum malum sit non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio & tanto terrente supplicio?*

XXXVI. Objicere porro solent adversarii, Evam ne post lapsum quidem agnovisse, Satanam, seu malum quendam spiritum, in serpente hoc latitasse, cum ejus nullam v. 13. mentionem faciat. Quin enim Dæmonem potius, quàm instrumentum ejus, incusasset, atque in illum, præ hoc, sceleris culpam transtulisset? Anne magis veniâ dignum erat, ab animali, quàm à callidissimo spiritu seductum esse? &c. Respondemus: Eva serpentem nominans totum illud compositum intelligit, ex spiritu seductore & instrumento ejus visibili conflatum, quod coram intuebatur. Nomen spiritûs illius, si quod fuit, sibi certè ignotum, exprimere non potuit, nec opuserat, eundem aliâ ratione ac diverso nomine arguere, quàm quâ defectio- nis autor, persuasione suâ, fuerat; Divinæ igitur omni- scientiæ relinquens, quis & qualis ille sit spiritus, qui animans hoc invaserit, ab assumpto externo & visibili corpore eum denominabat, ad eum fere modum, quò, qui in theatro Regis personam sustinet, regioque vestitu amictus est, Rex audit, aut, quò *latro, sub larva monachi furtum committens, ludibrii causâ, propter assum- tas vestes, Monachus vocatur*; ut ait Hugo de S. Victore Tom. I. in Annot. Elucid. p. 12.

XXXVII. Postquam sic ex verbis, quibus Moses factum serpentis descripsit, satis, ut opinor, demonstratum est, Satanam per illum Cap. hoc III. præcipuè indigitari, reliquum est, ut nunc verba vaticinii nostri propius inspiciamus, quibus severam justî Judicis animadversio- nem in serpentem & Cacodæmonem Moses complecti- tur

tur. Neuter versiculus, si de nudo serpente naturali intelligatur, dignitatem suam tueri potest, sed multis incommodis obnoxius, atque insipidus existimari debet, quod ipsum tamen à Mose ejusque intentione quam longissimè est removendum.

XXXVIII. Quid enim? Hæccine bruti animantis pœna sit, hæccine maledictio, tantò scelere & DEI vindicis annunciatione digna, *repere super ventrem*, cum serpens ratione destitutus ex eo nullum majus sentiat incommodum, quam equus pedibus incedendo? Ergone equo pœna est, non posse volare, si serpenti pœna est, non incedere pedibus? Nihilne amplius divina justitia in perfidum & scelestissimum animans statuisset, quam primum super ventrem incessum, qui tamen sine dubio in ipso integritatis statu, vermiculis aliisque reptilibus fuit naturalis? Quod de comestione pulveris subjungit Moses, frivolum sanè & ineptum est, si in serpente naturali subsistamus. Nec enim solò pulvere vescuntur serpentes, qui in *παιδάριος* recensentur ab Arist. Hist. animal. l. VIII. c. 4. quamvis humi repentes, unà cum iis, quæ lambunt, pulveris aliquantum deglutiant, & parum sanè brutorum animantium interest, utrum frugibus, an vermiculis, an cadaveribus, an pulverulentis pascantur alimentis, modò fames his cibis sedari & vita commodè satis sustentari possit.

XXXIX. Quàm porro frigida & levicula forent quæ v. 15. sequuntur, si hæc nihil amplius in recessu haberent, quam hominis & serpentis aliquam antipathiam. Istudne tanti est, conculcari aliquando caput serpentis ab homine, & hunc ab isto vulnerari, cum inter mille homines vix uni id contingat, qui tamen omnes in miseriam serpentis hæc seductione præcipites dati sunt,

& alia animalia non minus aliquando lædant homines, & ab iis ex aduerso lædantur, atque occidantur? Ergone serpentibus maxima præ bestiis agri cum hominibus intercedit inimicitia, cum in Orientalibus præcipuè regionibus quadrupedum longè major sit sævitia in genus humanum quàm serpentum, & quamplurima existent exempla, homines ab ipsis serpentibus blandè permultos, atque hos ab istis sine noxa sæpissimè tractatos esse. Vide inter alios Becker. in *Orb. Fascin. lib. 2. c. XX. §. 19* Bochart. in *Hieroz. Vossium Physiol. Christ. &c.* Quis non videt frivola hæc atque valdè tenuia esse, si soli naturali serpenti applicentur, solida verò atque succiplena, si primariò sensu ad ipsum Cacodæmona transferantur. Sapientissimus nimirum Iudex dæmonem in serpente abditum coram se cernens, qualem & Protoplasti intuebantur, sermonem suum ita instituit, ut qui serpentis habitu Evam subigere tentarat, sub serpentis etiam forma condemnaretur.

XL. Sensus itaque *vers. 14.* huc ferè redit. *Sicut serpens, organon Satanae, pedibus, ex hoc ipso tempore, privandus atque sic ex superiore animantium classe, ad longè inferiorem, reptilium puta, detrudendus & in pulverem abjiciendus erit, ita tu, Satan, Evæ seductor, inter alias creaturas rationales tuo quòdam locò hætenus toleratus, infra omnes in posterum deprimeris, ut contemtus & in miseriâ ac sordibus jacens magnitudinem sceleris tui, quò imperium tibi in genus humanum arrogasti, agnoscas.*

XLI. Notandum, Interpretes vulgò solere *vers. hunc 14.* in tria distinguere commata, ita quidem ut (1) maledictionem serpentis inter bestias agri explicent, (2) ingressum super ventre, & (3) comestionem pulveris; quæ

quæ & totidem deinde membris ad diversa Satanæ supplicia applicant. Alii hæc tria ad unum reducunt, maledictionem serpentis in hoc ipso consistere arbitrati, quòd ex omnibus feris agri solus pedibus orbatus, super ventre gradiri opus habeat, quâ ratione fieri non possit, quin cum cibus aliquid pulveris in os ingeratur. In applicatione ad Satanam Witfius *lib. IV. Oecon. foed. c. 1.* opinatur, Cacodæmonem cum ipsis bestiis agri h. l. comparari atque viliores brutis haberi, ita ut *maledictio inferat stultitiam atque malitiam invincibilem*, quâ Satan sit deterior mulò, & equò intelligentiæ expertibus. *Psal. 32. 9. vilitatem deinde summam*, quâ is, qui dominium sibi in præstantissimam creaturarum DEI, hominem, acquisivisse videbatur, tantum non infra omnia animalia deprimatur; *miseriam tandem nunquam terminandam*, cum bestiae moriantur & occidant, ipsi autem exitium nunquam terminandum immineat. Idem *l. c. gressum super ventre & pulveris comestionem de potestatis destructione* explicat, quòd nempe Cacodæmon humi quasi repere cogatur, nec ipsi liceat amplius in hominem infilire, eumque venenatis suis amplexibus necare.

XLII. In specie, quod ad *pulveris comestionem* attinet, provocat laudatus Autor ad Scripturæ loca, in quibus triumphati hostes pulverem lingere dicuntur, cum ad victoris pedes prostrati jacent: *Psal. LXXII. 9. Mich. VII. 17. Es. XLIX. 23. Conf. Psal. XLIV. 26. Jos. X. 24. Hiob. XIX. 25. Baruch. IV. 25. Es. XXIX. 4.* quamvis majorem adhuc emphasin subesse velit, cum quis pulverem non solum lingere, sed & tanquam cibum vorare dicitur, *Es. LXV. 5.* Tria scilicet hanc locutionem de Satana significare arbitratur, primò,

restrictionem potestatis Diaboli ad homines terrenos  
 glebæ addictos, quos solos devorare possit, in reli-  
 quos nihil juris habens; secundò, ratione electorum re-  
 strictionem potestatis ad solum corpus eorum, quod pro-  
 pter peccatum destruendum, & per mortem in pulverem  
 redigendum sit; tertio, pravam illam Diaboli volu-  
 ptatem, quam ex impiorum peccatis, & proborum  
 vexationibus percipiat, quæ sint veluti cibus ejus.  
 coll. *Job. IV. 34.* Ita ille. Clericus in hunc locum  
 allegorica, quæ vocat, commenta non neglecturus,  
 per bestias agri dæmones alios, à seductore distinctos,  
 intelligit, cum in Oraculis Chald. feras terræ de ter-  
 restribus dæmonibus Pletho interpretetur; gressum  
 super ventre & victum è pulvere applicat ad expul-  
 sionem Dæmonis è sedibus beatitudinis in loca inferi-  
 ora. Possent fortè per animantia terræ, in sensu figu-  
 rato, sed principali tamen, intelligi, vel ipsi Angeli bo-  
 ni, qui & sub animantium specie Ezechieli apparuerunt,  
 vel in genere creaturæ intelligentes, non exclusis homi-  
 nibus, inter quas Satanas externæ dignitatis locum  
 quendam hætenus retinuerat, & ex quarum ordine nunc  
 ad infimam classẽ erat relegandus. Hòc igitur sen-  
 su verba Mosis cum reipsa quàm optimè conveniunt  
 atque sic tandem cognoscimus, quamobrem DEUS, ser-  
 pentem hunc in iudicium vocarit, ei quæ maledictio-  
 nem & dignam tantò scelere pœnam injunxerit.

XLIII. Sed nondum res omnis quoad hunc v.  
 in vado est. Quamvis enim apud omnes in 'con-  
 fesso sit, Diabolo maledictionem præcipuè compe-  
 tere, ita ut cum Angelis suis & reprobis homini-  
 bus ad *καταραμείας* pertineat, quibus paratus est  
 ignis

ignis æternus Matth. XXV. 41. (sicut ex adverso Deus est εὐλογητὸς εἰς τὰς αἰῶνας Rom. I. 25. IX. 5. & electi εὐλογημένοι τῷ πατρὶ Matth. XXV. 34) non tamen æquè certum esse videtur, utrum maledictio, hęc locò serpenti denunciata, in Diabolum quadret, eò quod is jam ante seductionem Evæ maledictioni divinæ subjectus fuisse censeatur. Quomodo igitur (ita quis fortè quærat) serpens hic Satanus fuerit, cum temporis ratio non congruat, sed contrarium potius ostendat? Deus ad serpentem inquit: *Quia hoc fecisti, maledictus in posterum esto*: Satanus verò jam tunc extremæ maledictionis reus erat, ad infernalem pœnam, propter apostasiam suam, condemnatus. Deus serpenti contentum, privationem ornatûs sui ac gloriæ, aliâque mala, tanquam futura, denunciat: Satanus ex adverso concreatâ suâ perfectione jam exciderat, atque pristinâ dignitate ob proprium scelus exutus fuerat, non Angelis solum bonis, sed hominibus etiam multò factus inferior. Quâ igitur ratione verba hæc applicabimus Satanæ, quæ ob temporis diversitatem in ejus statum atque conditionem cadere non poterant?

XLIV. Ad hanc objectionem ut respondeamus, notandum est, non deesse Viros Doctissimos, qui primam hanc promulgationem pœnæ à Satana promeritæ fuisse asserunt, sive tentatio Evæ primum ejus peccatum fuerit, sive non. Jaquelot *l. c. p. 43.* etiam posterius asserit, scribens: *Peutêtre la tentation même fut le premier péché de l'Ange. Il y a des argumens assez forts pour le prouver, & la pensée des Theologiens qui parlent de l'envie, que l'Ange tentateur conçût contre l'homme à cause de son excellence, revient la.* R. Bechai, citante Helv. in *Prot-Evangel.*

E

vers.

vers. hunc non aliter exponit : *Jehova* , ait, *dum dejecit serpentis erectam staturam , dejecit simul virtutem illam , quæ ei se univertat , quam dejecit & præcipitavit deorsum è gradibus cœlestibus &c.* quæ approbat laud: Helvicus §. 22 *Conf. Joh. VIII. 44.* ubi Diabolus *inde ab initio homicida esse dicitur , nec perstitisse in concreata veritate*, eo quod mendacio protoplastos deceperit. Quicquid hujus sit , sive apostasia Satanæ à Deo intervallò jam aliquò tentationem Evæ antecesserit , sive cum eadem proximè connexa , & per hanc seductionem quasi consummata fuerit , nihil obstat , quò minus nunc demum poenam sceleris ab eo repetitam , & in tantò majorem ignominiam coram ipsis parentibus nostris publicè ei denunciata esse dicamus.

XLV. Hanc hypothesein si admittamus , rectissimè dicitur , quòd nunc demum Satan maledictioni divinæ subjectus fuerit , prout serpens naturalis nullam antea maledictionem expertus fuerat ; quodque per hanc punitionem serpens hic mysticus è statu suo naturali non minus , quàm alter ille externus ex eòdem , præsentissimâ executione , deturbatus fuerit ; quod denique erectæ serpentis staturæ in prorum super ventre incessum mutatio typus fuerit dejecti ex pristino splendore cacodæmonis , quem ornamentis , quibus adhuc forte superbiebat , privatum ex altiori dignitatis gradu præcipitem hîc dedit vindex DEI Justitia.

XLVI. Accedimus nunc ad versiculum 15. quem nos itidem de serpente naturali solo exponi posse negavimus , sed omninò Diabolum hîc intelligendum esse statuimus . Ita scilicet eum interpretamur : *Sicut inter Evam & serpentem hunc naturalem , quin & inter posteros Evæ*

*Eva* atque serpentes alios, inimicitia quædam intercedet, isto tamen discrimine, ut serpentes in terram abjecti hominum non nisi calcaneum forte læsuri sint, homines ex adverso serpentum quandoque capita contrituri: ita, ex hoc ipso tempore, internecino odio *Evam* contra Te, Satan! concitabo, ad semen utriusque propagando, venietque aliquando dies, quò *Messia*, ex *Eva* profapiam ducturo, venenatos dentes tuos infiges, dolores ipsi ac cruentam passionem conciliaturus, quò ipso tamen omne tuum dominium ac potestatem in homines amittes, postquam præcipuè *Salvator* generis humani, resumptis viribus, exsurgat, non mundum saltem, ejusque degeneres incolæ, ferreâ sua virgâ contriturus, sed tibi etiam, Principi mundi, tanquam suo & Fidelium suorum, hosti, omne imperium, robur, atque vitam propriis ademturus.

XLVII. Notandum hîc, inter Theologos Ecclesiæ Christianæ sanè quamplurimos constare, semen mulieris esse ipsum *Messiam*, non verò hominum totam collectionem aut universum piorum gregem. Doctiss. Jac. Goussierus in controverfiarum adversus *Judeos Ternione*, recens. Actis. Erud. anno 1688, duplici hoc argumentô evincit. Supponit (1) sub serpente latuisse *Satanam*, quod & nos pluribus hætenus demonstratum dedimus. Tantundem igitur, sic infert, contritio capitis in *Satana*, quantum in serpente valere debet, nisi & aliquanto amplius. Atqui in serpente contritio capitis mors est. E. in *Satana* etiam mors erit, eaque gravissima, & spiritui conveniens. Monstrandus igitur erit è muliere natus, qui id præstiterit. Nemo sanè hominum fidelium id facere potis est, Vocantur enim ii non ad vulnerandum *Satanam*,

E 2

sed

sed ad resistendum ei; *Jac. IV. 7. I. Petr. V. 9.* Christus autem præstitit. *Ebr. II. 14.* & præstabit in extremo judicio. *Ap. XX. 14.* (Conf. Helvicus in ProtEvangel. §. 53. ubi monet, nos vincere mundum, vincere τὸν πονηρὸν, sed non abolere diabolum, non destruere Regnum ejus, &c. quod solius Christi est. Vide etiam *Col. II. 15. I. Job. III. 8.*) E.

XLVIII. Alterum Gouffeti argumentum peti- tum est ex collatione malorum, quæ sibi mutuò serpens & semen mulieris inferunt. Semen mulieris serpentem capite, serpens semen mulieris calcaneo, vulnerat. At longè gravius est lethaliusque vulnus, quod capite, quàm quod calcibus recipitur. Jam verò diabolus sanctis lethalia vulnera infligere potest, sancti eidem ne quidem æqualia, multò minus graviora. Contra Satan Christum non nisi in talo seu inferiori personæ suæ parte, humanâ scil. naturâ, læsit, ipse ab Eodem in immensum mortis æternæ barathrum coniectus.

XLIX. Dissentiunt tamen quidam, non ultimi com- matis, Interpretes, qui vel semen mulieris, quatenus, non quidem ipsi serpenti, sed semini ejus opponitur, de piorum multitudine exponut, ut Fagius *in h. l. &c.* vel vocem hanc in integrò etiam versiculo non aliter capiunt, quatenus nimirum ab ipso non minùs serpente, quàm semine ejus distinguitur, ita quidem, ut dux hujus certaminis sit Christus, semen mulieris καὶ ἰζὺν, sed post Christum, & sub ipso, fideles quo- que, qui militent & vincant. *Ap. XII. 11. I. Job. V. 4.* & in quibus Christus, tanquam in corpore suo my- stico, Satanam magis ac magis conterat. *Conf. Col. 1. 24. Gal. III. 16. Luc. X. 17. 18. 19. 2. Cor. X. 4. 5. Eph.*

*Eph. VI. 12. seq. 1. Cor. VI. 3. &c. vid. Joh. Arrowsmith Tacit. S. Lib. I. c. 3. & quos ille citat, Rivet. Muscul. alios Conf. & Witsium. Oecom. Fæd. lib. 4. c. 1. § 16. §. 25. quæque ex Patribus congeffit Thilo Med. Theol. V. T. p. 43. 44. ubi tamen monet, has Patrum accommodationes à sensu literali omninò distinguendas esse. Alii hunc in finem addere solent, phrasin hanc de Semine mulieris universo generi humano esse communem. Hiob. XIV. 1. XV. 14. XXV. 4. Matth. XI. 11. Luc. VII. 28.*

L. Nos meritò soli Christo hanc gloriam vindicamus, quòd is hostem hunc nostrum potentiâ suâ divinâ, ac meritoriâ obedientiâ contriverit ac debellârit, cum exiit principatus & potestates, atque ostentavit palam, triumphans de illis per seipsum Col. II. 15. prout nec insolens est in Scriptura S. vocem feminis *μοινοπροσωπως* adhiberi. Vid. Gen. IV. 25. XXI. 13. XV. 3. 2. Sam. VII. 12. &c. Neque tamen ita morosi sumus, ut hæreteos aut violatæ gloriæ Salvatoris nostri, crimen iis impingendum esse arbitremur, qui suò quòdam modò etiam fideles h. l. connotari volunt. Omninò enim Messias noster inimicitiam Satanæ non in sua tantum persona, sed in fidelibus etiam, tanquam membris suis, experiri debuit, atque inde à temporibus annuntiati hujus Evangelii expertus est, in quibus etiam Satanam capitali odio est profecutus, ejusque consiliis ac machinationibus quâvis ratione obicem posuit. In iisdem membris suis Salvator noster afflictiones & persecutiones sustinuit, sed tales, quæ inferiorem saltem illorum partem, carnem puta, & commoda hujus vitæ, strinxerunt, cum spiritus interim in certissimam futuræ

corporum resurrectionis & æternæ vitæ spem in tantum illæsus maneret. Per fideles deniq̃, pios potissimum Ecclesiæ Doctores, martyres & alios, Satanæ potentiã subinde magis ac magis infregit, ita ut *vincerent antiquum serpentem per sanguinem agni & verbum testimonii sui, non diligentes animam suam usque ad mortem Apoc. XII. 11.* Conf. quæ supra hanc in rem allegata fuerunt. Redundat tamen in his etiam omnis laus & gloria ad unicum Salvatorem, nostrum, in cuius celebrationem læti exclamant fideles. *1. Cor. XV. 55. 57. Ubi tuus, mors, stimulus? ubi tua, inferne, victoria? Deo verò gratia, quòd dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.*

LI. Paucis adhuc monendum est (1) Semen serpentis impios atque incredulos homines denotare, docente Scripturâ *Matth. III. 7. Job. VIII. 44. 1. Joh. III. 8. Matth. XIII. 35. 38. Matth. XXIII. 33.* Alii addunt gregem dæmonum, Principi huic malo adictorum, qui *Matth. XXV. 41. Angeli Diaboli* audiunt; quæ explicatio si cui arridet, nos quidem illi litem hòc nomine non movebimus. (2) Futurum non nequaquam excludere tempus præsens, sed continuationem inimicitiae inter Evam & serpentem, & semen utriusque indicare. (3) Mulierem expresse h. l. nominari, non Adamum, cum Eva immediatè à serpente seducta fuerit *magisque probrosum sit serpenti antiquo, eidem in bello, exigua cum gloria gerendo, opponi miseram & seductam mulierem, quam ipse primùm in nassam suam pertraxerat & in extremam miseriam precipitaverat*; observante Calov. *Bibl. illustr. ad h. l.* (4) Doctores in ea esse sententiã, per vocem *feminiis mulieris* insinuari mysterium illud, quod ap. *Es. VII. 14.* clarius descriptũ legitur, Christũ scil. non Viri, sed mulie-

mulieris i. e. intemeratæ Virginis, semen fore, quod nos suo loco relinquimus.

LII. Postquam sic paucis ostensum est, verba Mosis, *vers. hoc. 14 & 15.* expressâ minus aptè de nudo serpente naturali, congruè vero & nervosè de Satana exponi, jungemus novum nunc argumentum pro assertione nostrâ primâ. Scriptura nimirum etiam alibi, præcipuè in N. T. luculenter docet, ipsum malum dæmonem sub larvâ hâc animantis latitasse, ut Christianos saltem pudere debeat, veritatem hujus assertionis in dubium vocare. Quidenim sibi aliud volunt verba S. Johannis *Apoc. XII. v. 9 Conjectus est draco magnus, serpens ille antiquus* ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, *qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit orbem terrarum totum &c. & v. 14. Mulier fugit à facie serpentis. it. v. 15. Ejecit quidem serpens post mulierem ex ore suo aquam &c.* Quis non agnoscit Paulum hoc indicare *2. Cor. XI. 3. 14.*? Jam tum in V. T. Esaiam huc alludere volunt Interpretes Christiani. *cap. XXVII. 1.* Vid. explicantem hoc Joh. Ben. Carpzov. in *Prefat. Manualis Antipap. D. Matth. Hoë.* Respicit hanc Mosis narrationem sine dubio etiam Paulus, *Rom. XVI. 20.* ipse Christus, *Luc. X. 17. 18. 19.* Johannes, *Apoc. XX. 2.*

LIII. Notabilis occurrit locus *Ioh. VIII. 44.* quem jam supra allegavimus, ubi Dominus noster Satanam mendacii patrem vocat, & homicidam ab initio. Enim verò, nonne serpens paradisiacus, si scilicet merè naturalis fuerit, quod Adversarii nostri, exclusâ Sata-næ obfessione, contendunt, pater mendacii potius dicendus fuerit, & homicida ab initio, aut (prout adversa hypothesis plurium novarum & hætenus in-

au-

auditarum opinionum fertilissima est, & quod ajunt, error errore opus habet, ne perpluat ) num dicemus, jam ante serpentis illud cum Eva colloquium, Satanam mendaciis suis eandem aggressum fuisse, atque mortis illi causam exstitisse, quam tamen Moses aperte testatur per esum vetiti fructûs in hunc orbem inventam fuisse?

LIV. Non possum, quin hęc locõ mentionem faciam ingeniosæ & subtilis conjecturæ Campegii Vitringæ, de æneo serpente à Mose erecto, quam proposuit *Lib. II. Observ. sacrar. c. XI.* Supponit is, tanquam rem inter Christianos indubiam, continere historiam hanc *μυσικόν τι*, vel ipsis Judæis quibusdam hoc agnoscentibus. Hos enim cùm urgeret Justinus Martyr, iisque objiceret: *Date mihi rationem, cujus gratiã æneum serpentem Moses pro signo collocarit, & inspicere eum, qui morsu ledabantur, præceperit, cùm tamen autor jussionis hujus fuerit is, qui nullam prorsus similitudinem fieri jusfit; respondit Judæorum unus: κληθῶς ἑπας ἐν ἔχομεν λόγον δίδοναι, καὶ γὰρ ἐγὼ περὶ τῆς προδράκτιστῆς διδασκαλῆς ἠρώησα, καὶ ἔδεις μοι λόγον ἀπέδωκε.* Præstat sanè ingenua hæc ignorantiaë confessio aliorum Judæorum nugis, quibus serpens hic æneus nihil aliud est, quàm Talisma seu ut alii pronunciare malunt, Tilséma, i. e. imago ad certum stellarum influxum facta, ut ex aspectu ejus Israëlitaë sanarentur. vid. Michael. Not. in *Gaffarell Not. 59. §. 17.* Judæis interim hæc deliramenta quoquo modo condonanda essent, quippe qui adeò stuporis & inscitiaë pleni sunt, ut fere pudeat eos non ineptire. Sed cui non Christiano bilem & stomachum moveat, Nobiliss. Marshamum, Virum cæteroquin

quin laudatissimum, quique eum sequuntur, easdem cum Judæistibus inflare, & serpentem hunc cum incantatione aliquâ à Mose factum esse affirmare? Gregiam proinde operam præstitit H. Witsius in Ægyptiacis, qui Pseudocriticos hosce, ex merito acerbò sale perfricuit, eorumque nœnias quoad ipsum hunc errorem *lib. II. c. VIII.* doctè refutavit *Conf. omnino Sap. XVI. 5. seqq.*

LV. Sed redeundum ad Vitringam, qui postquam Franc: Burmanni de serpentis hujus significatione sententiam hisce verbis expressisset: *Dominus erigi jubet æneum serpentem, quem ordinariè volunt imaginem esse Christi, quippe qui in similitudine naturæ nostræ peccaminosæ apparuit, ipsius veneni atque peccati expers: Sed in ipsa hac narratione significavit serpens, quomodo Christus in cruce sua de serpente triumpharet, eum ibi exponeret, & simul ab eadem cruce, à qua ipse penderet, secum suspenderet, ad ipsum superandum, sicut & vetus noster homo, h. e. peccatum ipsum cum Christo crucifixum est. Rom. VI. 6. Confer. Col. II. 14. 15.* suum etiam calculum explicationi huic adjicit, ipseque serpentem æneum figuram Diaboli serpentis illius antiqui interpretatur. Illam scil. tunc fuisse conditionem populi Israëliti, ut magis spectarent Diabolum in cruce viribus suis spoliandum, quàm ipsum Christum crucifigendum; illam DEI, per Mosen populum alloquentis, intentionem, ut spem faceret fidelibus Israëlitis, Diabolum, qui hoc tempore vires suas excercebat, cum Christo in crucem elevandum, ibi vincendum, occidendum, & omni vi sua privandum esse. Provocat ad consensum omnium Interpretum, qui serpentes,

F

Isra-

Israëlitas mordentes, in hac historia non aliter considerent, ac emblemata diabolorum, qui mortis nostræ spiritualis primi sunt autores. (Kabbalistæ ipsum Samaëlem principem dæmonum hic intelligunt. Vid. Saubertus *de Serp. æn. s. 16.*) Durum autem dictu esse, quòd in unâ eademque historia serpens modò Christi, modò Diaboli, figura sit: Neque obstare putat laudatus Autor dictum *Job. III. 14.* Non enim potuisse Diabolum crucifixum Israëlitis aliter repræsentari nisi in Messia crucifigendo, ut adeò verè crucifixio Christi, per crucifixionem serpentis præfigurata fuerit, cum Diabolus & peccatum quasi in Christo & cum Christo crucifixa sint. *Rom. VI. 6.* Fidem autem Israëlitarum nequaquam vult terminatam esse in serpente externo, sed in Christo, per quem serpens vitæ repræsentabatur in cruce.

LVI. Ultimò tandem locò primam propositionem nostram confirmabimus antiquiorum quorundam Judæorum consensu, in quorum scriptis quàmplurima ex genuinâ veteri Prophetarum traditione hodieque superesse demonstrârunt, quotquot in eruendis ex sterquilinio hoc unionibus operam collocârunt. Coccejò in *Aphorismis Theol. de duplici Fœdere* teste R. Jsaac Abarbenel & Moses Maimonides agnoscunt, veterum Magistrorum eam sententiam esse, quòd Samaël Angelus mortis obsederit serpentem, qui seduxit Evam. Helvicus *Diss. de Prot-Evangel. th. 13. seqq.*: plura Rabinorum testimonia in medium affert, qui Diabolum hic sub serpente latitantem agnovere. Nec abludunt Paraphrasés Chaldaicæ. Hierosolymitana scil. ex interpretatione Fagii, hunc locum ita exprimit: *Re-*  
*medi-*

medium erit filiis mulieris, tibi vero serpenti, nullum erit  
 remedium: quandoquidem futurum est, ut amoveant mor-  
 sum, qui factus in calcaneo, in fine dierum, scil. diebus  
 Messie. Jonathæ Targum verò ex interpretatione Hel-  
 vici, ita *תאגא דעא צען*. Veruntamen ipsis futurum est  
 remedium, & tibi, serpenti, non futurum est remedium.  
 Et erunt illi, ut habeant medelam in calcaneis, in diebus  
 Regis Messie.

LVII. Ab hac antiquiorum Ebræorum sententia  
 procul dubio etiam frequentissima illa in scriptis Rabbi-  
 norum Diaboli denominatio profecta est, quæ eum vulgò  
*תקראתן* serpentem antiquum, vocant. Conf. *Apoc.*  
*XII. 9.* Hulsius *Nucl. Proph. p. 58.* huc refert morem  
 Judæorum, quò in circumcissione præputium arenæ  
 injectum serpenti in cibum porrigere consueverunt,  
 remittentes quasi Diabolo, auctori, peccatum suum. Vid.  
 etiam in primis Sap. II. 24.

LVIII. Pergendum nunc statim foret ad propo-  
 sitionem nostram secundam, de serpente naturali,  
 quatenus eum, ut Satanæ instrumentum, suò modò  
 v. 14. connotari diximus, nisi una vel altera adversa-  
 riorum objectio moram injiceret, quibus paucis ad-  
 huc erit satisfaciendum. Beckerus *L. 2. c. 20.* ma-  
 gnò conatu magnas agens nugas, inter alia §. 10. sequen-  
 tem in modum argumentatur: Si diabolus in serpen-  
 te hòc & per illum loquens agnoscendus est, hoc  
 absurdum sequetur, eum per animans prius locutum  
 esse, quàm DEUM, cùm hic demum Numer. XXII.  
 legatur os asinæ aperuisse: Deum, addit, solum mi-  
 racula perpetrare, Psal. LXXXVI. 10. in specie i-  
 psi soli competere, mutis loquelam largiri. Ex. IV. 11.

Marc. VII. 37. Quod si verò vulgarem sententiam de sermone hōc Satanæ, per serpentem edito, sequamur, honorem hunc non solum inter Deum & dæmonem dispertiendum fore, sed diabolo etiam prærogativam deberi, cū multò mirabilius sit, serpentem, quàm asinam loqui.

LIX. Resp. Sturmius, Connors, nec pauci alii, soli Deo omnes actiones transeuntes adscribunt, quoad causalitatem physicam; quam hypothesin si admittamus, omnis protinus difficultas exspirabit, cū solus DEUS actionis physicæ in serpentis sermone non minùs, quàm in loquelâ asinæ autor fuerit. Sed cū sententiæ huic à quàmplurimis hodieque contradicatur, non est, ut eò confugiamus. Dicimus proinde cum aliis, Deum solum *miracula* præstare, diabolum *mira* & insolita. Magna utriusque est differentia, quam nunc quidem ex professo demonstrare non licet. Res interim certa & contra dissentientes pridem à nostratibus Theologis abundè confirmata est. M. Mich. Berns in script. Germ. dtē *Dreyfache Welt* / explicare conatur, quò pactò DEI operatio, quâ asinæ os aperuit, multò nobilior fuerit hisce diaboli præstigiis, cū asina verè linguâ suâ locuta sit, dæmon verò in serpentis ore aërem saltem, ad edendum articulatum sonum, artificiosè agitarit; quam sententiam aliis expendendam relinquimus. Absurditatem, quam Beckerus causatur ex eo sequi, quòd diabolus juxta hanc sententiam priùs ex ore animantis, quàm DEUS, locutus fuerit, nos quidem non capimus, qui Summum Numen honori suo ipsâ mundi creatione, multisque modis aliis, inde

de â primâ humani generis origine, satis consuluisse,  
nulli dubitamus. Beckero subtilitatem hanc & per-  
spicaciam non invidemus, mirati magis, quod &  
hîc & alibi tam

*cernat acutum*

*Quàm aut aquila aut serpens Epidaurius.*

LX. Idem Beckerus th. II. novum affert dubium:  
Diabolus inquit, si sermonis â Mose h. l. descripti autor  
fuit, magnificentius locutus est, quàm ipse DEUS, os  
asinæ aperiens. Non enim servilibus verbis erga Evam  
utitur, non querulam vocem emittit, prout asina er-  
ga Bileamum se gessit, sed imperiosè, & cum insigni  
rationis acumine sermonem suum instruit. Resp.  
Tædet ferè nugas istiusmodi referre, in quibus tam-  
en autor mirè sibi placet, easque, velut Medusæ  
quoddam caput, ostentat, quasi in iis reperisset, non  
quod pueri in faba. Prolixam certè refutationem  
non merentur, prout nec alia, quæ §. 12. 20. 21.  
22. producit, ita confusa, insulsa, distorta omnia, ut  
haud sciam, an Vir, cæteroquin non indoctus, absque  
fascino hæc conscripserit.

LXI. Majorem veri speciem habet, quod alii  
objiciunt, nullam apparere rationem, quamobrem  
Moses ne semel quidem Satanæ expressam mentio-  
nem injecerit, sed ænigmatibus omnia tam studiosè  
involverit, ipseque DEUS in causâ tam gravi, tam  
momentosâ & ad æternam Parentum nostrorum sa-  
lutem spectante, tam obscurè locutus fuerit, cum tam-  
en pœna Adamo & Evæ dictata propriis & di-  
lucidis verbis pronunciata sit. Resp. verbò: hunc

F 3

Dei

Dei morem ante incarnationem Christi perpetuum ferè fuisse, ut mysteria fidei obscurius proponeret, lucemque Evangelii nebulâ quâdam obfuscaret. Justæ dissertationis argumentum foret, consilii hujus rationes, quamvis scrutiniô nostrô dignissimas, debitâ cum industriâ investigare, quò labore tantò facilius nunc superfedere possumus, quòd differentia hæc V. T. à Novo inter Christianos ferè omnes in confesso sit, & extra controversiam. Poenam Adamo & Evæ injunctam v. 16. 17. seqq. clariùs à Mose descriptam, & hoc locò expressam esse, mirum videri nemini debet, cum temporalia, & externam saltem hominum conditionem respiciat, nec ad mysteria fidei pertineat. Nulli interim dubitamus, quin ipsis etiam Protoplastis divinum Numen sensum horum verborum, primâ fortè vice non satis intellectum, mox clariùs revelârit, isque per traditionem & Prophetarum informationem ad posteros etiam dimanârit, quam in rem confer quæ supra adduximus §. 56. 57.

LXII. Transimus nunc à propositione nostrâ prima ad secundâ, quâ statuimus, *v. 14. aliquem respectum ad ipsum etiam serpentem naturalem haberi, licet hic sensus, vim atque efficaciam verborum nequaquam exhauriat.* Regulam Exegeticam, de sensu proximò, sed inadæquato & multò leviori, quàm ut gravitati verborum & contextui solus satisficiat, agnoscit Clericus in *Comm. suo in Deut. XVIII. 18.* ( utrum eandem ad h. l. rectè applicet, nunc non disputo, quamvis consentientes habeat Stillingfleetum Episc. Anglo-Britannum, aliosque ) agnovere & alii Scripturæ S. Interpretes, nec negare eam possunt, quotquot allegationes in N. T. cum

cum dictis V.T. sollicitè conferūt. Paulus v.g. *I. Cor. IX. 9.* allegat ex *Deut. XXV. 4.* præceptum Domini. *Non obturabis os bovis, cum triturat.* Quis negaverit, proximum atque immediatum hujus mandati sensum esse, quem verba ipsa exhibent, ne scil. Israëlitaë bovis triturantis os fiscellâ vel capistrô coercerent, quò minus inter laborandum excussis frugibus vesci posset? Nihilominus Paulus Corinthios suos docet, indignum omninò hunc sensum esse divinâ Majestate, & longè infra tanti legislatoris, divinæque legis gravitatem, si quis in eò solò subsistere velit. Addit enim: *Num boves curæ sunt Deo? Aut nonne propter nos omninò dicit? Quò quid aliud innuit, quàm primarium & adæquatum sensum, quemque quivis attentus Lector facili conjecturâ assequi possit, illum esse, quem de stipendio, ministris Ecclesiæ, aliisque operariis, non denegandò, in contextu exponit?*

LXIII. Illustre etiam exemplum occurrit II. Sam. VII. 12. seqq. cujus promissionis sensum proximum, de Salomone, habemus I. Paral. XXII. 9. 10. XXVIII. 3. 5. 6. 7. &c. cum tamen ex *Ebr. I. 5.* manifestò appareat, verba, quæ ibidem occurrunt, multò significantiora & sublimiora esse, quàm ut in meram creaturam exactè, & quoad plenam suam emphasin quadrent, Plura exempla nunc non coacervabimus, quæ aliàs magnò numerò afferri possent. Ita videlicet lucè in V.T. umbrâ temperavit divina Sapiencia, ut pii & attentè Lectores haberent, quæ (accedente præsertim Prophetarum vivâ informatione) sublimiorem & primarium sensum, velut eminens, ostenderent, negligentes verò & improbi ab occultò hòc thesaurò, justò DEI judiciò, arcerentur,

LXIV

LXIV. Quod ad nostrum hunc v. 14. attinet, non una ratio suadet, serpentem naturalem leviori & proximò sensu in eodem connotari. (1) In toto hoc Capite III. quando de serpente seductore sermo est, nusquam serpens naturalis prorsus excluditur, sed tanquam organon Satanæ eidem semper subordinatur vid. v. 1. 2. 4. 13. Quâ ratione igitur v. 14. de solo serpente mystico explicabimus, cum de alio serpente in eò non sit sermo, quàm qui defectionis autor fuerat, quemque mulier v. 13. adjecto  $\eta$  demonstrativò coram DEO incusârat? (2) Nisi præter causam à verborum proprietate discedere velimus, agnoscendum est, serpentem naturalem & visibilem Cacodæmoni, per modum instrumenti, in tentandâ muliere inserviisse, atque, in tantum, sceleris hujus societati implicitum fuisse. Tantus autem divinæ Justitiæ rigor, tanta Bonitatis ejus erga genus humanum vis est, ut bruta etiam animantia pœnæ subjecerit, cum vel ab hominibus in abusum peccati rapta fuerunt, vel quòvis aliò modò iis damnum atque perniciem attulerunt. Vid. Gen. IX. 5. Deut. XIII. 1. I. Sam. XV. 3. Ex XXI. 28. 29. Lev. XX. 15. 16. (quòcum alii non malè conferunt, quòd ejusmodi instrumenta, gladios v. g. & bombardas, quibus amici nostri trucidati sunt, confringere atque abolere soleamus, quodque loca etiam ipsa, in quibus atrox aliquod facinus est perpetratum, inculta atque deserta jacere sinamus.) Quin igitur dicamus, etiam hòc locò Deum, inflicta serpenti naturali pœnâ, testari voluisse, quanti hominem faciat, & quàm ægrè ferat, nobilissimam hanc creaturam suam peccatò contaminatam esse, quamque turpis & abominabilis res sit

pec-

peccatum cum non ἐνεργῆσιν solum, sed & ὑπεργῆσιν malum conciliet, observante Theodoretō ad h. l. Rectissime proinde hæc verba DEI ad serpentem, qualis tunc præsens erat, directa, ita explicamus, ut pœnam etiam instrumento huic debitam complectantur.

LXV. (3) Experientia testatur, verba versiculi hujus juxta literam intellecta, non planè nullò sensu serpentibus convenire, atque ita quidem, ut antepromulgationem hanc nullò modò iis tribui aut accommodari potuerint. Num enim dicemus, serpentem naturalem jam antea maledictioni subiectum fuisse, eumque inde à prima creatione super ventre suo reptasse atque pulverem comedisse? Fateor, non deesse Viros Doctissimos, qui animans hoc unquam pedibus instructum fuisse negant, aded, ut illi etiam, qui versiculum hunc de naturali serpente nobiscum exponunt, non exiguò numerò, quoad hanc opinionem, à nobis discedant; ex quibus Bochartum, Wagenfeilium & Voëtium nunc nominasse suffecerit. At enim verò non solum ex hōc ipso v. 14. sed etiam ex v. 1. Cap. hujus colligi posse videtur, non pertinuisse serpentem, ante hunc lapsum, ad reptilia, sed ad animantia pedibus ornata, ad חיות השרה & חכמה, quæ à reptilibus accuratè distinguere solet Moses cap. I. v. 24. 25. 26. 30. VII. 14. Quoniam igitur rem ipsam, mutationem nempe incessus pedestris in reptationem, hōc ipsò tempore, quò summum Numen Protoplastos, & eum illis Satanam, in iudicium vocavit, contigisse probabile est, quis negare ausit, verba versiculi hujus aliquà saltem ratione eodem collimare, cum hunc sensum legentis animo, juxta tenorem literæ & proximâ significatione offerant.

LXVI. Hæc ratio, cum vel contra hos valeat, qui serpentem naturalem ab hoc negotio planè excludunt, quantò magis illos stringere censenda est, qui de eò verba versiculi nostri ipsimet exponunt, ne tamen alium, quàm reptationis ingressum serpentibus, etiam ante lapsum parentum nostrorum, tribuunt? Excipere quidem solent, *maledictione divinâ factum esse, ut quod ante lapsum naturale erat serpenti & decorum, nunc post lapsum turpe sit & infame, adeò ut homo, quàmprimùm istiusmodi bestiam humi repentem, corpusque trahentem videat, exhorescat, eam abominetur, & quæ ad manum sunt, expediens, abigat aut è medio tollat.* Rem exemplo declarant. Sicut Iris ante diluuium quidem erat, non tamen erat signum nunquam futuri in posterum diluuii: sic figura serpentis ante lapsum quidem erat, non tamen erat testimonium ignominie & dedecoris, neque iudicium fatalis inimicitie, ut homo, eum intuitus, inter necini hostis admoneretur. Sunt hæc verba Theologi verè magni & de Ecclesia nostrâ meritissimi, quem etiam post fata veneror.

LXVII. Sed quoniam major omninò veritatis, quàm autoritatis vis est, expendat mecum B. L. annon verba Mosis diversum planè sensum inferant, si vel maximè res ipsa nihil absurditatis contineret? Nonne enim aliud est, dicere: *quia fecisti hoc, ambulatio tua super ventre erit abominabilis & horrorem hominibus incutiet,* quod illi volunt, qui hac in re à nobis dissentiunt; aliud: *Quia fecisti hoc, super ventre tuo ambulabis,* quæ sunt verba ipsius Mosis. De iride quod opponunt; Respondendum rem ita exploratam & evictam esse, quin multi doctissimi Viri in contrariâ sint sententiâ. Vid. Pfeiff.

Dub.

*Dub. Vex. in Genes. in. h. l. Joh. Arrowsmith Prof. Theol. Cantabr. in Taet. Sacr. L. I. C. I. media viâ incedit, atque probabile censet, serpentem erecto corpore ambulasse, non quidem integrò, sed ab umbilico ad caput, aded ut pectus promineret, nec terram attingeret; â divinâ verò maledictione profectum esse, ut non super ventrem solùm, sicut priùs, sed & super pectus grade- retur, quem in finem versionem 1<sup>am</sup> LXX. allegat, ἐπὶ τῷ στήθει σὺ καὶ τῆ κοιλία πορεύσῃ. Fuit eadem sententia B. Seb. Niemanni, testante MS. quodam ejus Coll. in loca Scripturæ S. difficiliora annò 1670. habito. Re- pugnat verò & huic conjecturæ observatio nostræ S. LXV. proposita, nec non recepta vocis 1171 signifi- catio, quæ non tam pectus, quàm ventrem denotat.*

LXVIII. Non immorabimur longiùs Thesi no- stræ secundæ, sive novis argumentis ulteriùs confirman- dæ, sive contra dissentientium, B. Seb. Schmidii, B. M. S. H., Beckeri, aliorumque objectiones propugnandæ; nec prolixi erimus in probanda Thesi nostra III<sup>ta</sup>, cum in versic. 15. serpentem naturalem suò modò, & leviori quòdam sensu, connotari, tantò minùs jam negari possit, quantò clariùs idem in præcedentibus de v. 14. est demonstratum. Quis enim credat, Deum versiculò hòc 15. sermonem ex abrupto â serpente ad Satanam solum deflexisse, nullumque, ne minimum quidem, respectum ad naturale animal ampliùs habuisse, cum tamen continua sit oratio, atque idem ille hòc versiculò hominum odio exponatur, quem v. 13. ab Evâ accusatum, v. 14. jam tum maledictioni subjecerat: Valde profectò vereor, ne irrisores Scripturæ S. in hâc interpretatione multò faciliùs deprehendant, quæ carpe-

atque suggillare possint, quàm, si nostram explicati-  
onem supra propositam sequamur, juxta quam o-  
mnia pronò fluant alveò, quamque verba non solum  
proximâ significatione insinuant, sed res etiam ipsa, mille  
experimentis & quantum satis est, comprobata, quo-  
dammodo exigit.

LXIX. Non exhaurit, fatemur, hæc explicatio  
emphasin vocum, quibus Moses utitur, nec gravitati lo-  
quentis, aliisque circumstantiis plenè respondet, quod  
nos ipsimet supra annotavimus. Enimvero nequa-  
quam hinc sequitur, serpentem in his verbis prorsus  
excludendum esse, eumque nullò, ne tenui quidem  
& secundariò sensu, notari, quem tamen occultæ ejus-  
modi allegoriæ omninò admittunt & quandoque exi-  
gunt: juxta superiora. Neque est, ut novitatem nobis obji-  
cias, cum veritas semper sit antiqua & præstò sit Program-  
ma Publ. quò annò 1701. Cives Studiosi in quâdam Aca-  
demia ad Natalitia Immanüelis peragenda invitati sunt,  
ubi sequentia occurrunt verba: *Membrum primum v. 14.*  
*de naturali angue intelligendum esse perspicuè constat, secun-*  
*dum autem magis mystica (ergo non solum mystica) deno-*  
*tare & primariò sensu (secundarius igitur serpenti relin-*  
*quetur) ferire principalem causam, draconem ipsum spiritua-*  
*lem, omnia tam loquentis, quam venturarum rerum magni-*  
*tudine ponderanti faciliè exploratum erit.*

LXX. Demonstratis sic tribus Thesisibus no-  
stris, liceat per modum appendicis ad illustra-  
tionem & confirmationem dictorum annectere, quæ  
ex hâc ipsâ historiâ Gentilibus innotuerunt, unde-  
cunque ista hi vel illi hauserint. Consentiant in hoc  
Viri docti, & justis voluminibus pridem demonstrâ-  
runt,

runt, creationis & primævæ hominum felicitatis, rerumque aliarum à Mose traditarum famam, continuâ successione per multas ætates propagatam, ad ipsos etiam Gentiles pervenisse, cum ab uno omnes parente genus ducerent, nec, quæ à Majoribus acceperant, obliterari ita facile possent, quin inter asperfos figmentorum cineres scintilla quædam pristinæ veritatis hinc inde pelluceret. Fateor corruptam valde ab ipsis Gentilibus genuinam historiam fuisse, cum, jactatione præsertim antiquitatis, ad suam singuli gentem transferrent, quæ in Asiâ, & vicinis Paradiso regionibus, olim contigerant, mutatâ quodammodo scenâ, ne furtum deprehenderetur. Mendax potissimum Græcia sexcentas fabulas adjecit, quibus antiqua veritas tot modis adulterata, & in diversa commenta veluti membratim discerpta est, ut vix restitui, suæque integritati reddi possit. Non tamen spernenda illorum opera, aut exhibilanda sagacitas est, qui cum Josepho, Eusebio, Clemente, Patribus aliis, fraudes hasce Gentilium detegere studiosè hætenus allaborârunt, quos inter Samuel Bochartus præ aliis insigne nomen inter eruditos adeptus est, ut, iudice Witsiô, de hujus viri laudibus nunquam tam magnificè dici possit, quin id eruditio exsuperet ejus. Secuti eum sunt Huëtius, Dickynsonius, Clericus & quamplurimi alii.

LXXI. Quod ad præsentem serpentis seductoris historiam attinet, agnovere non solum prisca Gentiles, malos dæmones scelerum & miseriæ humanæ autores esse: (prout de Ægyptiis & Chaldæis Jamblichus, de Platone Plutarchus testantur;) sed serpentis

etiam hujus quandam notitiam habuisse videntur, quod ipse dæmon in perniciem generis humani, sed & suum ipsius interitum, abusus est. Stillingfl. *Orig. Sacr. lib. III. c. 3. §. 19.* existimat, enatam hinc fabulam esse Pherecydis Syri, cui princeps illorum, qui Saturno bellum intulere, ὀφιοειδής, à serpente, addit. Celsum certè exactam adeò harmoniam inter hanc Mosis relationem de serpente seductore, & Pherecydis istam fabulam de Ophioneo deprehendisse, ut Mosen plagii accusârit, qui hæc in sua arva ex ipsis Gentilium scriptis derivârit; cui tamen mox responderit Origenes lib. 6. contra Celsum, in ipsos Gentiles plagii crimen retorquens. Phœnices, addit, & Ægyptios veteres Deum sub serpentis primum specie adorâsse, quos sine dubio Diaboli ambitio hunc cultum persuaserit, cum istâ formâ coli à miseris mortalibus vellet, quâ imperium olim & tyrannidem in universum orbem obtinuisset. Serpentem etiam apud alias gentes divinitatis symbolum & emblema pridem fuisse, ibidem monet, testantibus Euseb. *lib. I. Prep. Ev. c. 10.* & Justino Mart. *Apol. c. 2.* quin & Persio, cujus notus sit versiculus:

*Finge duos angues, pueri, sacer est locus &c.*  
& aliis Gentilibus scriptoribus. Heinsium etiam in Aristarcho docere, Apollinis Delphici primum simulacrum serpentem fuisse, & Pythonis nomen ab Ebræo פיתון derivatum esse, quod serpentem sonat, ut non dubitandum sit, quin Pythius Apollo h. e. spurcus ille spiritus indigitetur, quem Ebræi אורב & אברון Hellenistæ, ad verbum, Ἀπόδύνα, coeteri Ἀπόδύνα dixerint. Denique, non aliam originem esse Oraculi Delphici, &

Ὀφιομαντίας, quàm jactatam à Cacodæmone in tenta-  
tione Evæ scientiam boni & mali, unde & שָׂרָפִים (à serpen-  
te שָׂרָפָה) divinationem ipsis Ebræis significet, prout  
& Græcis ὀφιοζέουσαι ab ὀφίως serpens.

LXXII. Joh. Dougtæus in *Anal. Sacr. Excurs.*  
III. ad Diaboli seductoris & Evæ deceptæ historiam  
alludere putat sacra gentilium, quæ in honorem Bac-  
chi sui peregerunt, quam in rem citat verba Demo-  
sthenis, quibus acriter perstringit Æschinem, ut Bac-  
chi sacris olim ministrantem, in *Orat. pro Coron. In-  
terdiu* (dabimus enim solum latina) *præclaros illos cœ-  
tus per viam ducens serpentes, quos Parias vocant, alli-  
dens & supra caput effrens & clamitans Evæ Saboe*  
*Ἐὐὸ σαβοῖ &c.*

Catulli item versus

*Evæ bacchantes, Evæ capita inflectentes*  
*Pars sese tortis serpentibus inungebant.*  
*Pars &c.*

Virgiliū itidem de Helena lib. 6. Æn: canentis.

*Illā chorū simulans Evantes Orgia circum*  
*Ducebat Phrygias.*

Provocat deinde ad Clem: Alex. qui in *Adhortat. ad Genti-  
les* p. 9. scribat, *Dionysium Mæolem Orgiis Bacchi celebrant*  
*coronati serpentibus ululantes Evæ. Evam illam, per quam*  
*error & omnigena inde mala in mundō sint consecuta. Nec*  
*aliter sentire Epiphanium ita differentem hær. 80 .p. m.*  
*1092. Dionysiaci, serpentibus coronati clamantes: evæ, evæ*  
*illam adhuc Evam à serpente deceptam invocant.* Fabri-  
cius

eius in Rom. c. 9. ex fragm. marmoreo proponit Bacchantium turbam angues ore gestantium. Quò & pertinet locus Aurelii lib. I. contra Symmachum:

*Baccho caper omnibus aris*

*Ceditur & virides discindunt ore chelydros.*

LXXIII. Injecimus jam mentionem Pythonis, quem Ovidius exponit miræ magnitudinis serpentem fuisse ab Apolline sagittis confectum. Edm. Dickinsonus in Delph. Phœniciff. c. I. Pythonem eundem esse vult, qui Typho aliàs dictus, & Pythonis quidem vocem juxta Homer. hymn. in Apoll. inde exortam esse, quia Sol eum *επυσε*, putrefecit; seu potius, uti capite II. monet, *אֲרִיִּס* serpente vel aspide descendere (quamvis utrumque de Ogo Rege in Basan explicet, cujus sacer Codex meminit, uti & cap. III. dicti libri Josuam & Apollinem eundem esse contendit;) Quoad Pythonis hanc *אֲרִיִּס* derivationem consentit Mœb. cap. II. de Oracul. Ethnic. Origine. p. 56. qui & cap. IV. p. 113. ex Gerh. Joh. Vossio notat, eum *אֲרִיִּס* (de quo itidem jam Heinsum differentem audivimus) per serpentem explicare. In Cananæa enim, fatidicum illud Numen serpentis imagine cultum, indeque I. Sam. XXVIII. Pythonissam à Saule consultam vocatam dominam *אֲרִיִּס* h. e. serpentis; ab *אֲרִיִּס* sanè Græcorum esse *ἄρις*, quod idem notet. Explodit hanc vocis *Pytho* denominationem Van Dalen. cap. X. de Divinat. Idolol. & de Oracul. Ethnic. Origine. C. IV. Sed quæ in contrarium adducit, leviora profectò sunt, quàm ut refutandis iis immorari operæ pretium sit.

LXXIV.

LXXIV. Grotius in *Gen. III.* existimat, hunc ipsum serpentem paradisiacum exhiberi per serpentem Gentilium, malorum aureorum custodem, quæ etiam Hüetii conjectura est *Dem. Ev. prop. IV. p. 255.* Clericus in *Indice Philol. quem subjecit Stanleji Philos. Orient. in voce Arimanes* deducit eam ab ערומ astutus, quod nomen si in fine Arabico more pronuncietur, efferi possit Ariman aut Arimon, quò epithetò serpens afficiatur *Gen. III. 1.* Erat aut Arimanes apud Persas principium malum & Deus malus, oppositus Oromazi, Deo bono. (quâ occasione monemus, juxta hypothesein illorum, qui ab Ebrææ L. omnes alias deducunt, non ineptè vocem Germ. Arnt ab ipso ערומ derivari posse quatenus nudum significat.)

LXXV. B. Gebh. Theod. Meierus in *Hist. Relig. cap. IV. p. 56.* huc refert Regum Sinensium morem, qui, referentibus historiis, Legatos audituri, se includant in vasti serpentis simulacrum, ut metum & majestatem sibi concilient; Ita nihil esse, addit B. autor, in sacra historia, cujus vel simulacrum vel simile non reperiatur apud gentiles. Lactantius de *Orig. Err. Lib. II. c. VII. & XVI.* ex traditione Gentilium narrat, serpentem urbem Romam pestilentiam liberasse. Nam illuc, ait, δαίμων δειξας ipse in figura sua sine ulla dissimulatione per ductus est, siquidem legati ad eam rem missi Draconem secum miræ magnitudinis adduxerunt. Æsculapium, Medicarum artium deastrum, serpentis figura cultum, huncque ei sacrum fuisse prodit Cuperus in *Harpocrate p. 56. seqq.* qui plura in hanc rem alia congescit. Conf. & Saubert, §. 32. seqq. de serpente æneo. M. Michaëlen Berns contra Beckerum *Lib. III. c. XII. th. 10.* Vossium *Physiol. Christ. p. 1523.* alios.

LXXVI. Tot modis serpens ille antiquus ab ipsis quodammodo Gentilibus agnitus & à non pau-

H

cis

cis cultus est, licet non negemus, plurima etiam ex ipsius Mosis, baculum in anguem miraculosè convertentis, & serpentem æneum in deserto erigentis historia petita, & ad horum imitationem à Gentilibus conficta esse; quod posterius de Æscul. serpente nuper etiam monuit Cellarius in *Orig. & Antiqu. Med. Vide Act. Lips. a. 1701. p. 87.* Cautione certè & prudenti circumspèctione hic opus esse putamus, ne absque iudicio obvia quæque cumulantes adversariis risum debeamus: v. g. si quis pertinere huc velit, quod apud Romanos cohortibus quibusdam signum Draconis prælatum fuerit, unde *Draconariorum* nomen, & hodie *Dragonum* seu *Dragoners*; item quod Agathias memorat de Persis, apud Wolzogen *de SSæ. Integritate & Veritate c. IX.* illos quorannis festo quodam die serpentes quamplurimos occidisse, existimantes, peccata sua hõc pactõ deleri & expiari: & quæ tandem non alia?

LXXVII. Satis, & forte plus satis, de serpente dictum est, à cuius tamen accuratâ cognitione reliqua fere omnia pendent, & lucem scenerantur. Restaret, ut nunc æquali industriâ de Semine mulieris ageremus, hostem hosti, Victorem devicto opposentes, quò tanto majori cum gaudio Christo, Deo nostro, hymnos & ἐπὶ μύσῳ canere, ejusque laudes celebrare possemus. Sed, quoniam fixos à nobis brevitatis fines jam ferme transgressi sumus, paucula saltem hanc in rem afferemus, & quasi per saturam, subtiliorem & exquisitam tractationem in aliam occasionem reservantes.

LXXVIII. Per semen mulieris in casu recto Messiam intelligendum esse, jam supra monuimus, ita tamen, ut non dubitaverimus in societatem ejus quodammodo

modo admittere ipsos fideles, tanquam membra ejus spiritualia, quique certâ ratione unum sunt cum Christo. Absit autem, ut vel minimam partem meriti ac satisfactionis, quâ hostis noster destructus & potestate privatus est, fidelibus cum Salvatore nostro communem faciamus, qui ne quidem in casu recto contritionem capitis serpentini, accuratè loquendo, iis tribuere sustinemus, cum hæc phrasis longè sit significantior & nobilior, quàm ut meri homines eandem sibi vindicare possint. Neque enim, quam Satanas, post maledictionem hanc, retinuit vitam, fideles ei ullâ ratione adimere ac debilitare possunt, neque, quam per peccatum adeptus est potestatem ac dominium in genus humanum destruere, cum hoc ipsum satisfactionem & expiationem peccati, quod est stimulus mortis, includat.

LXXIX. De inimicitia, quæ Christo cum Satana intercedit, non est, ut multa adjiciamus. Trita ea sunt & passim obvia, ut nemo Christiani nomen tueri possit, qui hæc ignoret. Utilissimò tamen labore, ex Scripturæ S. annalibus, & aliis historiarum monumentis ostendi & recenseri posset, quâ vicissitudine, quò successu & quibus gradibus hi duo capitales hostes inter se conflixerint, atque odia mutuò exercuerint, gloriâ victoriæ semper penes Christum manente. Sed sunt ea prolixiora, quàm ut brevibus expediri possint.

LXXX. Passionem Salvatoris nostri Moses eleganter describit per læsionem calcanei. Sicuti enim serpens naturalis, postquam in terram dejectus est non ampliùs in caput hominis involat, sed pedibus ejus advolvitur atque calces admordet; (*Conf. Gen. XLIX,*

27.) ita serpens ille antiquus, Christo sese opponens, nil nisi calcaneum ejus lædere potuit, passionem quidem & mortem acerbissimam humanæ ejus naturæ inferens, sed vulnere tamen sanabili; unde & post triduum Salvator noster caput in gloriosâ resurrectione exaltavit, ipsâ morte in victoriam absorptâ. *I. Cor. XV. 54. Eb. II. 9. 10. &c.*

LXXXI. Contra de Semine Mulieris dicitur, quòd serpentis caput contritum, ei que lethalem plagam inflicturum sit, partim divinâ virtute & potentia suâ, partim obedientiâ pro hominibus præstitâ, partim denique ipsa illâ passione, quam ab hoste suo suscipere ei que spontaneâ exinanitione sese subjicere voluit. Præstitit sane hoc Salvator noster, oppugnavit, vicit, contrivit serpentem hunc antiquum, ut frustra jam iram suam in fideles evomere nitatur ad instar serpentis lethali vulnere faucii, de quo Virgilius *Æn. V. v. 273.*

*Qualis sepe via depensus in aggere serpens,  
Ærea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu  
Seminecem liquit saxò lacerumque viator,  
Nequicquam longò fugiens dat corpore tortus,  
Parte ferox, ardensque oculis, & sibila colla  
Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat  
Nexantem nodis seque in sua membra plicantem.*

Vicit ergò vicit! Leo de tribu Juda! Deo sit iterum iterumque laus, qui nobis dat victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum! *Apoc. V. 5. I. Cor. XV. 57.*

LXXXII. Pontificii mallent hanc gloriam contriti serpentis Mariæ, matri Domini, vindicare, referentes pronomen *הוּא* non ad proximum *וְרַע*, sed ad remotius *הוּא אֵשֶׁר*, atque in hunc finem legentes *וְרַע* in foem. gener.

gener. vel ipsum מרת pronunciando non aliter ac prius experimentes. Provocant ad Versionem Vulgatam, ubi exstat, *ipsa conteret tibi caput*, probante hanc lectionem Catech. Trid. part. II. art. II. Inde apud eosdem enatae hae & similes voces: *Hæc est mulier virtutis, quæ contrivit caput serpentis, hanc peccatores devotè adæmamus, rea pectora tundamus, dicentes: Sancta, sancta, sancta Maria, clemens & pia, Domina nostra.* Vid. Antiph. de Domina nostra. It. *Adoro & benedico beatissimos pedes tuos, quibus antiqui serpentis, cum omnibus pompis ejus, caput calcasti &c.* Orat. de omnib. membr. Mariæ. nec non: *Gaude Maria virgo, quæ contritur a caput Diaboli, illi per culpam nunquam subjecta fuisti.* Orat. Sixti. IV. Pugnans pro hac versione Bellarm. lib. II. de Verb. Dei cap. XII. Greg. de Valentia Tom. III Disp. I. Quæst. I. punct. VII. p. 314.

LXXXIII. Verùm enim verò rationes, quas pro hac sua opinione anxie conquisitas afferunt, tam sunt ficulneæ & nullius ponderis, ut tædiosum sit in iis, vel recensendis, operam conterere. Obstat ordinaria pronominis hujus lectio & significatio masculina, obstat suffixum ejusd. gen. in מרשתנו (enallagen enim præter necessitatem hinc fingere, absolum est,) obstat versio τῶν LXX. qui (respicientes fortè ad vocem σπόγγος) reddidere, *avlics*, nec non allegatio Philonis Jud. in alleg. legis p. 752, Paraphras. it. Chaldæa, jam supra producta, multaque alia.

LXXXIV. Patres sanè primitivæ Ecclesiæ hunc locum de Christo, non æquè de Maria, interpretati sunt. Irenæus *Lib. III. C. XXXIIX.* inquit: *Inimicitiam posuit Dominus inter serpentem & mulierem, & semen ejus, observantes invicem; illò quidem, cui morderetur planta, potente*

te calcare caput inimici, alterò vero mordente & occidente, & interpediente ingressus hominis, quoad usq; venit semen prædestinatum calcare caput ejus, quod fuit partus *Marie*. Nec aliter *Lib. IV. c. 74.* & *lib. V. c. 21.* sensit ac locutus est. *Cyprianus Testim. adv. Jud. l. II. c. LX.* inquit: *Ipse tuum observabit caput, agnoscente Pamelio, non ipsa, sed ipse apud dictum Patrem legendum esse.* Conf. *Chrysol. Serm. 173.* Quin & ex ipsis Pontificiis non pauci nec vulgares Doctores errorem *Vulgatæ* in hoc textu agnoverunt & vaticinium hoc de Christo exposuerunt, quos allegatos vid. ap. *Chamier. Panstrat. Cathol. T. III. LV. c. III.* & *Rivet. Exercit. XXXVI.* in *Genes.* *Cajetanus v. g.* inquit. *Non de muliere, sed de semine dicitur quod conteret caput serpentis.* *P. Dan. Huetius Dem. Ev. Propos. VI. n. 7. p. 498.* lectionem *Ebr. & LXX. Vulgatæ præfert & n. 13. p. 511.* ait: *Initio Geneseos prædicitur futurum, ut semen mulieris, ipse videlicet Christus, serpentis caput conterat.* Vid. etiam p. 957. Conf. *Calov. Bibl. illustr. ad h. l.*

LXXXV. Ad Prot-Evangelium hoc, juxta *Sal. Gesnerum*, *David* respexit *Psalm. CX. 6. 7.* inquiring: *Percutiet caput super terram multam.* Addit *Gesnerus*: *Ideo etiam in singulari numero nominat unum caput magnæ terræ, à quo cætera instantur, quod est antiqui Draconis, quod dominatur in filiis incredulitatis & princeps est hujus mundi. Quæ adduntur de torrente in via, designant vulnerationem calcanei.* Ita *Gesnerus*. Quæ in *N. T.* huc respicere videntur loca, ea jam tum supra allegata sunt.

LXXXVI. Utrum *Adam & Eva* statim vim horum verborum atque sensum genuinum perfectè & quidem suo pte ingenio affecti sint, dubitari potest.

Ioh.

Ioh. Capnio *Lib. I. Cabb. refert: Veteres opinatos fuisse, Angelum Raphaël Adamo adjunctum, qui hanc de futuro semine promissionem afficto ipso mœrentique exposuerit, in hanc ferè sententiam: Ne supra modum conficiaris molestiâ & gemitu, quod te duce genus humanum in summam corruiat perditionem, quoniam originale peccatum expiabitur. Nam ex tua propagatione nascetur homo justus & pacificus, vir heros, cui nomen continebit in miserationibus etiam has quatuor literas: I. H. V. A. & ille per ratam fidem & placidam oblationem mittet manum suam, & sumet de ligno vitæ & ejus ligni fructus erit omnium sperantium salus.* B. G. Calixtus in eruditissimo suo de *Pactis* Tract. §. 38. ita inquit: *Nolim negare, mysterium redemptionis nostræ pluribus & fortè manifestioribus verbis tunc expositum fuisse. Hæc verò sola Scripturæ credita sunt: Conf. eund. Lucubr. ad Vet. T ad Gen. III. Vide etiam Dn. Præsidis Theol. dogmat. Fidei Diss. XIII. §. 25. ubi monet, Protoplastos promissionem hanc traditione in posteros propagasse, quos inter etiam fuerit conservata, donec factâ per Prophetas declaratione, largissima ejus impletio suo tempore supervenerit.*

LXXXVII. Plura quò minùs addam, festinatio prohibet, cùm aliàs facili negotiò ostendere possẽm, quò pactò divina Sapiencia hõc Prot-Evangesiò quam plurima fidei nostra mysteria complexa sit, atque ea velut in nuce exhibuerit, de Peccati nimirum demerito, ejusque ad posteros propagatione, de satisfactione Mediatoris, de divinâ ejus virtute & potentiâ, de sanctificatione, de Cruce, de resurrectione mortuorum, futuro judicio, vita æterna &c. quæ pio Scripturæ S. Lectori propriâ industriâ eruenda atque devota medita-


ditatione secum in animo volvenda relinquo. Fugiamus interim infernalem hunc serpentem, qui ab implacabili erga nos odio Satanæ nomen gerit, eumque cane pejus ac angue detestemur, ne vel in herbâ latens aculeum suum nobis infigat, vel apertâ vi sub potestatem atq; imperium suum nos redigat, memores, quanti Domini redemptione & quàm pretioso sanguine amissam in Protoplastis libertatem recuperaverimus. Atque hæc cum maxima pars generis humani, Judaismi, Muhammedismi atque Gentilismi tenebris immersa, non agnoscat, ad Semen Serpentis hõc ipsõ pertinens, nos, qui Christiani sumus, tantò magis celebremus & gratias agamus cum Paulo Col. I. 12. 13. 14. Patri, qui nos fecit idoneos in partem sortis sanctorum in luce. Qui nos eripuit è potestate tenebrarum & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.

FINIS.


*Errata extantiora, quæ relegendi occurrerunt,  
ita emendanda sunt.*

P. 6. lin. 16. omiffi juxta quosdam. Ibid. lin. 25. pro merè leg. catenus. p. 7. lin. 8. Num. XII. mutetur in VII. p. 8. lin. 11. omiffi. de Haresibus c. XVII. p. 14. lin. 17. post verb. præcedentes inseri. eodẽ modò. p. 21. lin. 19. post vocem suo inser. aut mariti. p. 43. lin. 12. omiffum est שׁוּבָה. Reliqua B. L. festinae noni condonabit, & suâ sponte corriget.



















the scale towards document

m, quam tanquam summus Mundi Pro-  
phetas Messias sanctissima fuit ac verè divina,  
et verè etiam, veris quidem illis ac revera di-  
vina, & sanctissimo vitæ ac mortis exemplo  
non alia tamen fuit à doctrina illa salutari,  
quæ in populo suo indè à primis Patriarcha-  
is usque ad Messiaæ adventum revelavit.

§. XXII.

nam, quo hoc suo officio Prophetico functus  
et edificanda Ecclesia, verè divinus fuit &  
et verè absolutus; Fecit enim id a. Externè per  
seipsum, & quidem partim immediatè per  
seipsum ministerii sui curriculo, quod in terris obi-  
dit per ministros suos, quos sub utroque  
habuit extraordinarios & ordinarios. β. In-  
& auditores omnes per Spiritum Sanctum  
omnem veritatem Joh. 16. 13. majorem-  
que mensuram pro diversa Eccle-  
siarum, ita ut jam omnes sint διδακτοὶ  
45. juxta vaticinium Esajæ, 54. 13. γ. Prin-  
cipaliter familiaribus parabolis, ut videre est  
in Matth. 22. 16. ut nemo potuerit ejus sapientiæ resiste-  
re Matth. 25. 27. & Matth. 22. v. 19. 22. 26. 32. 33. 34.  
et verè etiam, ut habens auctoritatem, non au-  
ditur Matth. 7: 29 ζ. Eloquenter admodum &  
et verè: ita ut nunquam ita locutus sit homo ut  
Matth. 23. 46.

§. XXIII.

et verè etiam maxima illa Messiaæ Prophetæ supra  
omnes prophetas excellentia, etiam supra ipsum  
Christum, et verè etiam Prophetarum maximum faciunt Judæi.

C 3

varia-